LOGICA
INCIPIENTIUM

Regulas definiendi dividendi & argumentandi;

IN ORDINE

Ad faciliorem Philosophiæ Peripateticæ Captum

CONTINENS

Pro Schola Dialectica in Classibus Novodvorscianis Academicæ Juventuti Universitatis Cracoviensis

ACCOMODATA,

Operâ

M. CASIMIRI STĘPLOWSKI,

Sacræ Theologiæ PROFESSORIS,

Collegæ Majoris.

Ex probatis Authoribus

COLLECTA,

& in lucem publicam cum permissu Superiorum

EDITA.

Annô quô DEUS PATER per Verbum suum hominibus locutus est injitium salutis 1753.

CRACOVIÆ,
Typis Universitatis Collegij Majoris

IN AVITUM DECUS ILLUSTRISSIMÆ JORDANORUM PROSAPIÆ.



Cerno Tubas, timeo; fors inquam bella parantur;
Sed cùm nulla ſonent prælia, rurſus amo.
Stemmate ſub tali, ſi tota Polonia vivit:
Quàm meritò terror diligit ipſe TUBAS!

ILLUSTRISSIMO
ac
EXCELLENTISSIMO DOMINO
D. ADAMO
IN ZAKLICZYN
JORDAN,
PALATINIDÆ
BRACŁAVIENSI,
DOMINO & MECÆNATI
AMPLISSIMO.

Januam Peripati in universam Aristotelis Philosophiam; immò ad omnes divinas & humanas scientias primum vestibulum aperio, atq; in publicam lucem ita profero; ut Magno Nomini Tuo

Illustrissime Domine Mecænas Amplissime, *esse consecrata desiderem. Convenientissima profecto res est; ut in aditu portæ Aristotelicæ* Tu *Literarum Imago primò emineas: nam summè exornabis. Dum enim in accessu Philosophico oculis Sapientum Primus occurres, majestatis plurimum attribues; utpote Qui inter erudita Orbis Poloni decora in auribus Doctissimorum Virorum veluti vocalissima scientiarum Tuba audiris, versaris. Magnifica inde crescit Peripato commendatio, dum lucum ejus non solis* Illustrissimæ Prosapiæ Ceris; *sed simul ingenti ingenii luce illustras, scientiarum amore, qui eruditum pectus* Tuum *plenè hereditat, omnisq; literaturæ gloriâ*

adimples

adimples & locupletas. Non est Tibi *mens illa, curiosa cum novis (ùt dici & nominari volunt) Philosophis ocu-lîs experiri, manibûs palpare, auribûs complecti; sed illa, quæ cæteri sensibûs,* Tu *elevato animô, quo polles, cogno-scere, de illorum natura & attributis sapienter ratiotinari, eorumq́ intima penetrare per summam ingenii ca-pacitatem perq́ operosum omnium perplexitatum scrutinium (quæ dum conantibus quoq́ non rarò impervia videntur,* Tuæ *vastitati apertissimæ sunt) glorioso nisu desideras, atq́ eô felici consequeris successu; ut omnium prudentûm judiciô inter literatos fa-cilè palmam merearis. Inter hos tamē solidæ eruditionis splendores glorisiùs radiant,* Illustrissimæ Prosapiæ Tuæ

Nomina, *in quæ tenuiter saltem mentis oculos intendo: nam propter suam amplitudinem, neq; animô sufficienter capi, neq; hoc brevi prælô satìs comprehendi possunt: nam gloriæ suæ antiquitate* TUBÆ JORDANORUM *universum Orbem impleverunt. Resonuerunt Illæ in Ausoniis Collibus jam ab Anno Christi 470: ubi Fasces Consulatûs Romani tenuêre* JORDANI *juxta Cassiodori Chronologiam; quemadmodum & Baronius meminit circa eundem annum celeberrimi Scriptoris* JORDANI EPISCOPI Gotthorum, *qui suam historiam de successione temporum, Regum & Regnorum ád annum imperii vigesimum quartum Justiniani Imperatoris produ-*

xit.

xit. Idem alibi JORDANIS Romanorum Regis *electi mentionem facit: Sed & ipse purpuratus Cardinalium Senatus in* JOANNE URSINO JORDANO *eminentior evasit. Atq; adeò primus* JORDANORUM *nidus Italia, quam cùm famâ, virtutibûs heroicis, Serenissimîs, Eminentissimis, Illustrissimîs implerent honoribus, non poterant Ausoniis capi limitibûs, donec tandem ad Imperatorum Aulas se se diffunderent, nostræq; Poloniæ communicarentur. In Curia enim* LEONIS *ad præclara munera assumptus* JORDANUS *primò* COMES STABULI, *postea* CONSUL Constantinopolitanus; *de quo Nicephorus Lib: 11. cap: 20 alter* JOANNES

ANNES JORDANUS THEODOSII SECUNDI *Aulicus, cujus vitam à Chrisapio Eunucho sibi ablatam agente* PULCHERIA *Imperatrice,* JOANNES FILIUS *vindicavit. Non est tamen necesse per exteras Orbis Regiones antiquitatem & gloriam* JORDANORUM Prosapiæ *requirere; habemus certa documenta domi, quibûs edocemur, quomodo instante* MIECISLAO, *primo Polonorum Christiano Principe apud* JOANNEM XIII. Summum PONTIFICEM, *inter alios, militares, & Apostolici hujus Nominis Viri ad instruendam in fide Catholica Sarmatiam, de celeberrima* URSINORUM *Familia Annô 965. auctoritate & consiliô istius Pontificis de-*

legati

legati fuerint; ex quorum numero PROCHORUS JORDANUS *uti Vir Sanctitate eruditione plenus; ita Nominis claritudine in Italia illustris ad regendum Posnaniensis Cathedræ* Episcopatum (quem *Idem* PRINCEPS MIECISLAUS *inter alios erexit, & fundavit, ut Dlugossus Tom. 1. Lib: 2. refert) assumptus: adeoq;* JORDANORUM FAMILIæ *debet tota Sarmatia, non solùm Patriæ per Viros Heroës defensionem, Legum tutamen Patriarum, morum politiem, Scientiarum culturam; sed etiam id optimum, quòd de barbara gente in orthodoxam, DEO placentem evaserit, totamq;, quâ hucusq; vivit, intaminatam fidem. Exinde protinus*

JORDA-

JORDANORUM *dexteritatem, literaturam, cæterasq́ virtutes Senatoriæ Curules, Archi-Præsuleæ Infulæ, functiones publicæ, dignitarii fasces, cæteraq́ Regni nostri decora magno conatu exoptârunt, atq́ ipso facto exornârunt. Nolo de cineribus sacris excitare, animas illas* JORDANORUM *bellatrices à primis initiis ad hæc usq́ tempora florentes. Hæc enim* Illustrissima Familia *sub omnibus* SERENISSIMIS REGIBUS BOLESLAO, VLADISLAO JAGELLONE, SIGISMUNDO AUGUSTO, sub STEPHANO BATHOREO, ALEXANDRO, SIGISMUNDO III, VLADISLAO, JOANNE CASIMIRO, AUGUSTO II, *ad modernum* AUGU-

STUM

STUM III. *Specialibus semper distinguebatur titulis. Vidit Polonia & venerabatur*, HENRICUM JORDANUM *Supremum Regni CANCELLARIUM sub* BOLESLAO, NICOLAUM *PROCANCELLARIUM sub* VLADISLAO JAGELLONE, *qui post plurima pro bono Reipublicæ rectefacta inter Sacros annumeratus Mystas: pòst Haliciensis EPISCOPUS, mox ARCHIEPISCOPUS Gnesnensis renuntiatus erat. Cùm verò ob nobilissimas dotes suas Patriæ & Ecclesiæ proficuas; propter Sapientiam, quâ pollebat in Concilio Constantiensi inter congregatos ibidem Ecclesiæ Proceres & Patres emineret; tantum ibidem ab omnibus æsti-*

mari

mari meruit; ùt ob veram Sanctitatem, excelsas virtutes, præstantissimasq; dotes suas in Pontificem Maximum eligi plurimorum judiciô censeretur. Quæ cogitationes licèt si ad effectum non deducerentur; non sine tamen præmio meritorum suorum ex eodem Concilio in Patriam redierat: nam inde pro sua primùm Persona, & tandem pro gratis Successoribus Primatialem, in Sedem Gnesnensem, extulit dignitatem, primusq;, PRINCEPS & PRIMAS REGNI *obtento ad id Privilegiô vocari cæpit. Extant hujus Principis laborum & Sapientiæ monumenta, Statuta Provincialia, Illius curâ & solicitudine lata, atq; à* MARTINO V. Ponti-

fice

fice Maximo *approbata. Eminuit in Orbe Polono ad perennem Domûs suæ gloriam sub* CASIMIRO JAGELLONIO JOANNES de ZAKLICZYN, *Quem ob res præclarè gestas idem Rex Heredem Præturæ Myslinicensis promulgaverat, in qua* NICOLAUS CASTELLANUS Voynicensis *Arcem sumptu magnifico extruxit. Sed post hos parem, vel majorem Prosapiæ suæ aggregavit gloriam* NICOLAUS EQUES Hierosolymitanus, *qui ex* LANCKORONIA Supremi protunc MARESCHALCI Filia *sibi Matrimoniô conjuncta* JOANNEM *& sui Nominis* NICOLAUM *duas illasq; firmissimas Reipublicæ Columnas reliquit.* JOANNES *in Aula* ALEXANDRI REGIS *educatus*

educatus, propter opera bellica Monarchæ acceptissimus, in Cujus heroicæ virtutis præmium Præfecturam Zupparum Bochnensium & Vielicziensium Eidem assignavit; ac temporis successu inter Senatores CASTELLANUS Becensis *annumeratus, Lublinensi, Scepusiensi Capitaneatibus auctus:* NICOLAUS autem FRATER, *primò Vislicensis, postea Voynicensis CASTELLANUS, post mortem verò* JOANNIS FRATRIS, *CAPITANEUS* Sceputiensis, Osviecimensis, *Zatoriensis effectus. Loquuntur annales domestici, quantam nactus fuerit auctoritatem sub* CASIMIRO MAGNO JOANNES JORDAN, *dum in prima Regni Sede purpuratus refulget Senator*

nator. Meminisse juvat JACOBI de ZAKLICZYN ex MYSZKOVIA *uterina* PETRI MYSZKOWSKI *EPISCOPI* Cracoviensis, Sorore Consorte *sua progeniti, atq; Regnante* SIGISMUNDO AUGUSTO *Roth-Magistri Peditum & sub Stepanowice Supremo Exercituum DUCE* MIELECIO *Praefecturâ Artileriae fulgentis, ubi gloriosa de Janczaris victoriâ potitus, sibi & Genti gloriam immortalem acccumulavit.* ADAMUS *quoq; Istius* JACOBI *optimè Germanus non impari refulsit animi fortitudine sub Cecora & Chotimo: Cujus heroica virtus meruit plausum in Epitaphio per* HERMOLAUM JORDANUM, Aulicum SIGIS-

MUNDI

MUNDI Primi, CAPITANEUM Samboritanum *apud S. BERNARDINUM posito, de quo Starovolcius in suis Monumentis. Dulcis hucusq; resonat fama per Orbem* LAURENTII SPYTKONIS, CASTELLANI Sandecensis, *primò, & simul Thesaurarii Regni; postea Sandomiriensis, mox Cracoviensis* Palatini, *ac tandem* Castellani, *in qua Suprema in Ordine Senatorio dignitate vitam cum morte, relicta meritorum immortalitate, quam vivens meruit, commutavit. Vir hic erat summa eloquentiâ præditus, Legum Patriarum peritissimus, morum Gentis suæ observantissimus, Regibus fidelissimus, Civibus Regni amantissimus, & super hæc omnia*

Fidei

Fidei Catholicæ zelator acerrimus. Quamvis etenim infausto illo tempore pluribus nova Lutheri dogmata placerent, quæ licentiam vivendi & laxitatem morum pollicebantur, eaq; non pauci amplexi fuissent; Ille tamen perpetuò orthodoxus, Romanæ Ecclesiæ subjectus Filius: ac propterea multis benedictionibus Divinis cumulatus; Comitatum Melstynensem in Familiam JORDANORUM *intulit; quinq; Filiabus, quas de Connubio* ANNÆ SIENIAVIÆ Palatini Russiæ & Supremi Ducis Exercituum Regni Filia, *lectissima Consorte sua susceperat, Clarissimus, dum illas Principibus Viris & Senatoribus in fædera Matrimonialia elocaverat. Ad tan-*

 torum

torum Heroum numerum pertinet Magnus PROAVUS TUUS MICHAEL JORDAN *illarum Vir dotum; ut, sive publica Reipub: negotia Legatus tractaret, sive Judex decreta in Tribunalibus conderet, sive in prælijs militem ageret, sive res domesticas disponeret, omnia feliciter & excelso animô expediret. In consilio pro bono publico Consus; inter Judices Legum Dictator; inter milites in castris strenuissimus Heros; in domesticis Laribus pientissimus Numa; inter Sanctitatis suæ & munificentiæ in pios usus opera, Templum D. MICHAELI Tutelari suo in Bonis hæreditariis Siepraw de muro erexit, & ubiq; in DEUM & Patriam pietatem servavit. Cujus ma-*

jus ma-

jus magnitudinem gestorum admiratus CASIMIRUS JOANNES REX *heroicam animi fortitudinem Dobczycensi Capitaneatu præmiavit; postea Principem Nobilitatis, dum Succamerarium Cracoviensem, creavit. Venit adhuc sub elogiarem pennam immortali dignus memoriâ* FRANCISCUS JÔRDAN CASTELLANUS Voynicensis, CAPITANEUS Dobczycensis, AVUS TUUS, *Vir omnia excedens elogia, toties ad generalia Regni Comitia Legatus, pro bono duntaxat publico Optimus Orator. Judex ad Tribunal Regni, Judiciorum Capturalium Mareschalcus, criminum vindex, pro innocentia strenuus Zelator. Ad Viennam contra Othoma-*

num ex Palatinatu Cracoviensi Legionum Præfectus, cum gloria Gentis acerrimus contra hostem Pugnator, in præmium heroicæ virtutis, ita cordi Regio JOANNIS III. *adhæserat, ut eum Pocillatorem Regni renuntiaret; ex qua dignitate Suffragio meritorum in Patriam, ac Ejusdem* Invictissimi Regis *respectu, Senatoria decoratus Purpurâ: Augusto enim judicio dignus visus erat pro amore in Cives, pro fidelitate in Regiam Majestatem majoribus augeri honoribus, ni posteris suis servarentur. Matrimoniali fœdere junctus erat* Illustrissimo KORYCINSCIORUM Sanguini *accepta in Conjugium* BARBARA STEPHANI KORYCIN-

SKI,

SKI, Supremi CANCELLARII Regni Filia; *ex Qua* MARIANNAM MICHAELI WARSZYCIO ENSIFERO Lancicienſi, *Viro ad summa omnia aptiſsimo;* & Filium MICHAELEM *Progenitorem Tuum ad omnia præclara natam indolem reliquit: ut ex flore ætatis vaticinari liceret, quantus futurus erat in Regno Senator; Cujus virtutem intuitus* Sereniſſimus JOANNES III. *interea Pocillatorem Cracoviensem proclamavit, majora in corde reservans; si fata ſtamen vitæ non præcidiſſent. Quod tamen Suceſſor suus AUGUSTUS II. perfecit, cujus electionem aliquatenus in turbine suppreſſam, activitate sua & auctoritate relevavit; dum MI-*

CHA-

CHAELEM Palatinatu Braclavi-ensi adjunctis Capitaneatibus Dob-czycensi & Ostrołęcensi, exornavit: tanti Virum hunc Rex iste Hero-um ponderator ob Summas dotes æsti-mando. Profuit enim integerrimo Senatui Consiliô, incorrupta Tribu-nalibus VICE-MARESCHALCUM *agens justitiâ, toti Patriæ ope & ingeniô, multa Sapientia, & experientiæ Se-nator ab omnibus rectè sentientibus existimatus, tranquillitati publicæ studens & commodis universorum prospiciens: sibi aliquantum injurius, quod ab AUGUSTO III. felicissi-me regnante altius in Senatu Sub-sellium suis meritis præparatum ascendere per modestiam recusaverit. Tu tanti Patris nobilissima Proles*

ADAME

ADAME JORDAN *Regii Nominis per Aborigenum* Tuorum *Sanguinem Heres; purpurarum in tot Principibus, Archipræsulibus, Antistititibus & Senatoribus Successor; Coronæ* Illustrissimæ JORDANORUM *Familiæ prætiosissima gemma;* MICHAELIS *Magni Palatini &* ANASTASIÆ GONZAGÆ de MYSZKOVIIS *ultimæ Marchionatûs Pinczoviensis Successtricis, gloriosæ memoriæ Matris, optime Fili. Cui non sufficit alienis sustētari præsidiis, solis Prædecessorum gloriari meritîs, Proavorum duntaxat; exornari decoribûs; sed* Tibi *propriis ex optima indole satagis refulgere splēdoribûs, quos ex vera virtute & solida eruditione abundè comparasti. Piissimus* Proavi

Tui

Tui MICHAELIS *Æmulator*; *Ille enim Siepraviensis*, Tu *Droginensis Fundator Ecclesiæ, neq̃ Solis parietibus & tectis* Tuam *absolvisti munificentiam; sed eam ultra promoves in providenda supellectili Ecclesiastica externa, quàm tanta animi lætitiâ & sedulitate, tanta comparas; ut ne minimum quidem artis errorem uspiam patiaris, neq; ullis parcas sumptibus, quos non minores in providendo interno decore, in fabricandis arte pulcherrima Altaribus, in Sacris apparatibus procurandis, in aureis & argenteis Vasis transformandis ac de novo fundandis impendis & ampliùs impendere non desinis. Hanc pietatem in Superos ab Avis, Atavisq;* Tuis *cum Sanguine suxisti, quibus à primis*

mis Fidei Christianæ in Polonia cunabulis, & à prima in Sarmaticis oris Generis sui plantatione, hoc Solenne erat, ut Superos plena liberalitate adorarent, quam Ejusdem Droginensis Ecclesiæ Campana Annô Christi 1030. *fusa & Stemmate Tubarum insignita per septem secula divulgabat & rursus futuris in Ævum divulgabit. Dignus sanè es* Illustrissime Mecænas, *ut* DEUS T. O. M. *amplissimis* Te *accumulet honoribus, prosperrimam in plurimos annos cum lectissima Consorte largiatur vitam eamq; dignissimis de lumbis Vestris Successoribus adaugeat. Notæ sunt omnibus. Sed mihi domesticæ* Tuæ *virtutes, quas quò magìs occultare satagis, nolens, ut oculus humanus bona opera* Tua *videat,*

deat,

deat, eò magis & ultro se produnt; animi candor duplicitatem erubescens; constans in rebus agendis fortitudo, & tanta animi magnificentia, quanta Viros Principes decet. Neq̃ expedit, hìc specialiter non meminisse Dignissimæ Compartis Tuæ MARIANNÆ de LUBOMIRSCIIS Celsissimo Principum *Sanguine conspicuam, in quam* DEUS *& Natura illas contulit dotes, quæ sexum superare videntur; mentis & corporis pulchritudinem; regiarum splendorem virtutum; prudentiam tantam, quantam vix pauci meruêre Viri; & quod cætera dignitate superat, intaminatum fidei & mentis candorem, veram in superos & continuam pietatem, quam post* CANTII & FRAN-

CISCI

CISCI *Filiorum funera utinam boni Superi Successoribus donarent. Matronarum Poloniæ decus, omnia ingeniô penetrans vasto etiam intima mentium; cunctos in sui æstimationem, laudabili affabilitate servando authoritatis moderamen, pertrahens. Verè fortunatissimum Par Vestrum in paritate magnarum virtutum, in paritate Sanguinis, in unione pari cordium & animorum, quod est prima & pretiosissima dos Matrimonialis. Nolo à præsentibus elogiis separare* FRATREM TUUM STEPHANUM, *quos mutuus & sincerus conjunxit amor, & ille equidem, ex quo exemplum desumant cæteri, quanta inter Fratres debet servari charitas. Eadem illi famu-*

lantur

lantur ab iisdem Proavis descendenti panegyres; eadem à pietate in Superos commendationes, ab animi in agendis rebus prudentia, ab authoritate, quam vultu & oculis totoq; præfert corpore, ab acquisita per sedulissimam librorum lectionem eruditione, à tantisq; dotibus, quales summis conveniunt Viris. Si cætera Illustrissima Sororum Tuarum Nomina, *quarum gloriæ magnitudinem arctum folium capere non sufficit, silentiô prætereo; nõ expedit tamen non meminisse* CONSTANTIÆ *Annulo desponsatæ* ŁĘTOWSCIANO, *cui veluti præstantissima cessit gemma, cum multarum virtutum & summarum dotum Mulieribus comparanda: præter Senatorii Sanguinis or-*

nis ornamentum, perenni pietate, virili prudentiâ, atq; devotissimo in superos corde decorata. Quam idcirco dextera Domini benedixit in nobilissima prolis educatione; quam virtute imbuens in spem boni publici enutrivit, in Illustrissimarum Familiarum Decus, & Domûs Paternæ *certissimum solatium. Inter tot & tanta Antenatorum ornamenta* Tu *superemines* Illustrissime Mecænas. *Possident* Te *equidem Magnorum Aborigenum Atria: hæres in summorum Virorum cordibus, quorum amores præstantissimis dotibus jure meruisti: sed domicilia scientiarum, potiore* Tui *parte gloriantur. Perpetua hæc est* Tua *Sententia, pulchriùs* Illustrissimas *refulgere Antenatorum*

Ceras,

Ceras, ſi in heredibus à Palladiano lumen mutuentur lichno: eò gloriosiùs exiſtimas radiare nobiliſsimorum Prædeceſſorum titulos, quò inſigniore eruditione clarificantur. Hæc Animi Tui *excelſi opinio, & idcirco debui* Te *in fronte libelli iſtius philosophici præponere, ut tandem evulgandus in publicum ex* Te *Viro Eruditorum apice commendationem obtineat. Summa Homero gloria acceſſerat ex Macedone Terrarum Domitore, quòd ſuam Iliadem inter armorum ſtrepitus avidiùs revolveret; non minor Græcis literis ab Adriano, quib9 domi & foris operam navabat; bonis disciplinis à Carolo M. quibus incumbebat; Philosophiæ arcanis, quæ perscrutabatur à Sigismundo Imperatoribus*

toribus

toribus; Aristotelicis voluminibus, quæ pretioso servabat in scrinio ab Alexandro; quos omnes Clavum Imperii tenentes à discendo & legendo, neque inanis, quæ ab imperitis inferri solet verecundia, neque Majestas Imperatoria retrahere; neque dulcis avocare somnus; neque oblatæ difficultates in scrutando rerum arcana deterrere; nec denique Rerumpub: negotia impedire voluerunt. Inter hos Augustos Viros numerari mereris Illustrissime Mecænas, *qui cum libris perpetua impendis colloquia, vel cum Viris Scientificis cum animi lætitia conversaris, Legum Patriarum, Historiæ Regnorum, Divinarum & humanarum scientiarum peritissimus. Diem* Te *perdidisse*

arbitra-

arbitraris, si eum scientifico alicui negotio non consecrares. Hæc Tua *præ aliis svavissima occupatio, aut Philosophum, aut Theologum, aut Ascetam, aut* Divinam *Scripturam, sive Ejus Interpretem, aut patriarum Volumen* Legum *volvere & revolvere. Neq; satis existimas oculis revidere, manibûs tractare, apices literarum, aut involucra librorum laudare; sed animô cum seria mentis applicatione complecti: aut, si quid perplexum contigerit, tamdiu conari, tamdiu speculari, donec difficultatem vincas, nodum resolvas, ænigma illustres, arcanum penitiùs intelligas, eo usq; non procedens ad aliorum scrutinium, quousq; objecta difficultas non absorbeatur. Ad*

quæ

quæ literaria negotia urgent Te *publicæ utilitatis desiderium, amor eruditionis, qui pectus generosum occupat; quem Filiis Civium Patriæ infundere niteris, qua unica ex causa, vela Magnificentiæ Tuæ expandis, minimè impensis parcis; sed ubi, vel pietas in* DEUM *& Patriam, ubi literarum exercitatio svadet, nullibi manum ab expensis avocas, in superos, in literas, inq; Literatos liberalissimus, munificentissimus. Hæc igitur causa mea potissima est, quòd hunc exiguum laborem* Illustrissimo Nomini Tuo *dedicatum esse voluerim, quem liberalitas humanitati conjuncta & efficax persvasio* Tua *publici juris fecit: non diffido, quòd illum eo animô, quô Darius pugillum*

aquæ, jucundo vultu aspexeris. Quod ubi assequar, dabunt operam Musæ Academicæ, quarum gratiâ id esse conscriptum & luci publicæ donatum volueris, ut nulla ætate Nomen & Gloriam Tuam *conticescant: optabunt* Te *cum sua* Celsissima Consorte *immortales fore. Ego in filiis & filiabus victuros, Teq; Virum ad summa natum purpurîs exornandum precor.*

ILLUSTRISSIMÆ &
EXCELLENTISSIMÆ
DOMINATIONIS
VESTRÆ
Totiusq; Illustrissimæ Prosapiæ
Devotissimus Cultor
AUTHOR OPERIS

APOLOGIA
Pro Arte Disputandi Peripateticorum.

IUlianus Apostata, cujus egregiam indolem sacrilega perdidit curiositas, *ut refert D. Augustinus Lib 18. de Civit: DEI*; cùm videret, quòd non posset resistere sapientiæ Virorum Christianorum, aptissimè sua convitia retorquentium, eaq; feliciter dissipantium; cognoscens deinde se imparem esse ad validas eorum rationes evidentiaq; argumenta respondere; publico vetuit edictô, ne Christiani Logicam & alias liberales ediscerent artes: de quo testatur *Ruffinus de Juliano scribens cap: 10. Hist: Eccles:* Nollem comparare huic malo Imperatori eos, qui novo quodam humanam eludente curiositatem modô, multorum sæculorum usu celebrem, & Summorum Virorum authoritate nixam doctrinam, aut obscurare, aut tollere percupiunt, atq; in toto Orbe antiquissimam, ab Ecclesia Catholica commendatam, Scripturæ Sacræ & Sanctis Patribus cohærentem Peripateticam disputandi artem odiô quodam invincibli prosequuntur, quâ hucusq; universus bene sapit Orbis; & sine ipsa, nova quoq; (ùt dicitur: nam ex Veterum Leucippi, Democriti, Epicuri, hostium existentiæ DEI, ac immortalitatis animæ, angulis extracta sunt) dogmata modernorum quorundam Philosophorum prorsus defi-

sus defi-

ſus deſiperent. Hanc inquam artem diſputandi Ariſtotelicam ex animis excutere, è manibus Eccleſiæ Catholicæ eripere conantur; ut eam arietibus errorum ſuorum fortiùs impetere valeant, omnemq; ingenii vim & acumen prorſus evertant. Legi poteſt, quod refert *Laurentius Surius in Comment: rerum in Orbe geſtarum A. D. 1522.* quomodo Carolſtadius & Melanchton præcipui Luteri diſcipuli, quod ex ſui Magiſtri doctrina hauſerunt adoleſcentibus Vittembergæ perſvadebant, Ariſtotelem, nonniſi meras ſcripſiſſe impoſturas, adeoq; libros illius flammis devovendos eſſe, uni duntaxat Sacrorum Bibliorum lectioni vacandum. *Ipſe quoq; Luterus in libello ad Germanicam Nobilitatem* à Logicæ aliarumq; Artium Studio Juvenes dehortans, Ariſtotelis Phyſica, Metaphyſica, Ethica prorſus aboleri debere docuit. Et *Tom: 1. in explic: 8. Præcep: inquit:* per Philoſophiam Peripateticam ſeducti ſumus: cùm Peripatetici meras ſequantur nugas. *Ibidem* verò in *examine 1. Præcep:* Logicam vocat garrulitatis garruliſſimam Magiſtram. Contra quam perverſitatis doctrinam exclamat *Joannes Roſenſis, Martyr pro Fide Chriſti* ſtrenuiſſimus in Articulis: Tolle Logicam, ſublata erit protinus facultas, aut ſubruendi, quod falſum eſt, aut ſtatuendi veri. Ego quoq; uſum Philoſophiæ Peripateticæ, ac præſertim artis diſputandi tanquam fundamenti reliquarum ſcientiarum, ad quas conquirendas pro-

cedere

cedere debent Studiosi Logicâ per priùs instructi, sicut *admonet Boet: L. 1. ad Top: Cic. &c.* maximè salutarem Sanctæ Ecclesiæ & Fdei Orthodoxæ considerans; eam ad communem Studiosorum utilitatem ex probatis Auctoribus collectam præsenti Methodo conscribendam curavi, illiusq; dignitatem adversùs suos criminatores tuendam suscepi, eo solùm animô, ut veritate rei cognita, de ea malè sentire desinant, nisi pertinacis ingenii esse maluerint. De illius e-pertinacis ingenii esse maluerint. De illius eximia præstantia Magnorum & præsertim Sanctorum Sapientumq; Virorum præclara leguntur elogia, atq; commendationes. *Plato in Dialogo cum Phædro* Dialecticam vocat DEI vestigium, cui postea Phædrus consentit; sine qua, cùm non possit acquiri in statu perfecto veri nominis Philosophia, ideo eam adjunxit scientiæ naturali & morali; quod constat *ex S. Augustino Lib: III. Contra Academicos cap: 17.* In similem abiit sententiam *Hugo à S. Vict: Lib: 1. Didascal: eruditionis inquiens:* Cùm veteres in multis erraverint, multaq; falsa in disputatione adferrent; ad hæc igitur emendanda, Logicæ præcepta visum est ad notitiam deducere: illa enim ostendit, quæ sit vera, & quæ falsa ratiotinatio. Ex Dialecticis igitur regulis in omni disciplina naturali & supernaturali, definitio, divisio & argumentatio rectè colligitur: & quod sunt animato corpori nervi & ossa, hoc toti Philosophiæ, omnibusq; scientiis ars dispu-

tandi Aristotelica; qua sublatâ, ruit tota rectè disputandi Ædes, quam cùm contempsit, atq; repudiavit Epicurus, turpiter lapsus est. Neq; solius naturæ donis in dicendo & arguendo fidendum: in his enim natura erronea est, quam tamen ars in rectam reducit viam, & corrigit: aliud enim est more Poëtarum, aut Rhetorum verba fundere, aliud ea, quæ dicas, ratione & arte distinguere. Verum est (utor sensu *Hugonis à S. Vict: Lib: 1. Didascal: erud:*) quòd ante Grammaticæ præcepta scribebant & loquebantur homines, verumq; à falso discernebant; numerabant ante Arithmeticam; mensurabant agros ante Geometriam; per cursus Stellarum discernebant tempora ante Astronomiam; sed supervenientibus Artibus, usu meliores facti sunt & longè in his operationibus perfectiores: ars enim certior dux est, quàm natura inquit Cicero. Ad intellectionem quoq; Divinarum Scripturarum Dialecticam doctrinam perutilem esse *& Augustinus Libro 2. de doctr: Christ: Cap: 37. & Rupertus Tuitien: Lib: 2. de operibus Spiritûs S. cap: 78. affirmant.* Namq; in Geneseos capite primo fit mentio generis & speciei, de quibus apud Peripateticos sermo est. *Hinc Rupertus inquit:* Arbitramur, non minùs ad hanc Scripturam, quàm ad eam, quæ est apud Aristotelem Prædicamentorum doctrinam, necessarium esse scire, quid sit genus, quid species, quid differentia, quid proprium, quid accidens?

Quid

Quid clariùs pro dignitate Peripateticæ disputandi artis adferri potest, quàm illud, quod *S. Hieronymus in Ezech: inquit*: quidquid in sæculo perversorum dogmatum est, & putabatur esse robustum, Dialectica arte subvertitur; ut nihil appareret, quod fortissimum putabatur. Idem *Lactantius Frmianus Libr: 4. Divin: Instit:* consonat dicens: quidquid à Philosophia humana non consonè ad Sapientiam Christianam dicitur, àDialectica disputatione potenter destruitur & falsum convincitur. Hæreticorum figmenta per Aristotelicam dissolvi Dialecticam, *Rupertus Lib: 7. de Oper: Spiritûs S. Cap: 9.* asseverat. Illum arietem Arianorum: (ut putant invincibilem) DEUS, est Pater. Sed Filius, non est Pater. Ergo Filius, non est DEUS. Similiter illud cornu Ubiquistarum; CHRISTUS, est ad dexteram Patris. Sed dextera Patris est ubiq;. Ergo Christus, est ubiq; sola Dialectica superavit, sola contrivit: nam cùm in utroq; argumento ex Præmissis de fide, conclusio hæretica eruitur; una Aristotelis Logica, contra quam uterq; Syllogismus errat, errorem per cognitionem diversæ terminorum suppositionis, detegit, ac emendat. Nec quispiam dixerit plerumq; dogmata erronea stabiliri præceptis Logicæ Aristotelicis, Dialectici decipiunt, vera pro falsis, falsa pro veris ostendere utcunq; conantur: hic enim abusus doctrinæ Peripateticæ, minimè gloriæ illius nocere de-

bet; nihil enim tam bonum, quô non pravi abutantur. Sæpè miles ingratus contra Patriam arripit ferrum, quo eam defendere tenebatur; Gubernator privatam sumpturus vindictam, navem evertit; Medicus aliquando perimit, quod non debebant; furiosus ensem ad necandum vibrat; heluones vina ad insaniam non ad sanitatem convertunt: hi tamen infausti eventus non persvadent, ut exercitus è Regnis exulent; ut naves prorsus exurantur; ut ars medicandi ex orbe proscribatur; ut enses omnes frangantur; ut vineæ penitus excindantur & in ignem mittantur. Non artium, aut ex se bonarum rerum, hæc vitia censentur; sed hominum. Succurrendum tamen est ejusmodi incommodis, ne decipi Sophismatîs ea ignorantes patiamur: & quamvis inveniantur, qui fallere quærunt; non desint nihilominus, qui decipulas cognoscant, & falli, efficaciter præcaveant. Haud illud est fugiendum in scientiis Peripateticis, & arte disputandi Aristotelica, quod est sanum, utile & commendabile; sed hoc solùm ex Scholis proscribendum restat, quod improbum, fraudulentum in animis perversorum. Sola perversitas studentium excludenda à Dialectica, non facultas culpanda. Non ideo enim Peripatetici Aristotelis doctrinam amplectimur, quòd sit noster; sed ideo, quia sine errore docet, quia infallibiliter ex veris, verum concludit, & solam veritatem investigat. Agite igitur Optimæ

spei

Spei Adolescentes; & operam huic operi diligentem impendite; arti disputandi Peripateticæ ingenia & seriam applicationem consecrate; quam desidiosi duntaxat, neq; mentes suas sublimiùs elevare cupientes, sed velut in humili ambulantes, labore nimirum ac principiorum difficultate perterriti, rident, contemnunt, ipsi potiùs tanquam ignavi & imperiti ridendi, contemnendi. Persvasum hoc nobilissimæ indoli Vestræ plurimùm cupio; ut, qui Philosophiæ, Astronomiæ, Juris-Prudentiæ, Sacrarumq; Literarum in Theologia Studiîs, cæterisq; Scientiîs imbui & inclarescere animitus optatis: non recusate breves labores, non deterreant vos paulò difficiliora principia: nam ulterior progressus, levius efficiet negotium, postq; effusos in discendo sudores, copiosa cum fænore multo proveniet eruditionis messis. Non formidate tantillum laborem; hoc enim puerile est, & pigrorum vitium; utilitatis copia teporem & desidiam vincat, divinarum humanarumq; rerum per Aristotelicam Philosophiam cognitio, persvadeat discendi alachritatem: quodsi Porphirianæ Arboris radices primò gustantibus amaræ videntur; sed tractu temporis, cùm ingenium discentis maturuerit, svavissimos scientiarum pro germinabunt fructus. Non terreant in Æquore Aristotelico fluctus & quædam mentium pericula: nam in portu triumphi & ingens gloria eos, qui fortiter superaverunt, præstolantur.

Aliàs in nulla ſcientia progreſſus & vera perfectio acquiritur; neq; concluſiones dictaq; ſua; neq; dogmata Fidei, quæ recentior Philoſophia convellit, favetq; Lutero & Calvino juratis Peripateticæ hoſtibus, feliciter & invictè defenduntur: niſi priùs Scholaſticæ artis diſputandi præcepta cognoſcantur, quorum cognitio omni Statui Reipublicæ Chriſtianæ plurimùm proficua. Cujus enim animus difficilioribus Ariſtotelis diſciplinîs exercitatus priùs fuerit; ſi illi curioſa in experimentis (à quibus neq; Peripatus abhorret, quamvis ſuæ ſolidæ non præfert Doctrinæ) veniant cognoſcenda, faciliùs etiam in privato addiſcit, quæ plùs diſtractionis, quàm laboris includunt, qui enim difficiliora penetravit, fiet expeditior ad facilia comprehendenda. Hæc igitur emolumenta ſint ſtimulus nobilibus animis ad ſuperandas in Peripatetica Philoſohia perplexitates: generoſi enim animi ingens calcar dfficillima ſuperandi, ſperata gloria eſt, quam in abundantia Nobiliſſimæ JUVENTUTI precor.

Ratio inſcripti operis.

LOGICA Incipientium, ſeu communi nomine Dialectica, hoc Opus inſcriptum: nam in illo de rebus facilioribus, quibus ratio humana ad rectè & ſine errore diſcurrendum adjuvatur, regulæ traduntur. Idq; ad differentiam Logicæ perfectorum, vulgò Logicæ majoris, in qua celebriores quædam ac difficiliores quæſtiones methodo Scholaſtica & diſputativa pertractantur, quas imbuti præceptîs Dialecticæ facilè comprehendunt. Incipientes enim in qualibet arte & ſcientia priùs facilioribus inſtruendi ſunt principiîs; ut ita ad penetranda magìs difficilia convenienter diſponantur.

Argumentum operis.

PRæmiſſis Præambulîs quibusdam ad definiendum, dividendum & argumentandum neceſſariis, quæ in ſuos paragraphos dividentur; ipſa Logica Incipientium triplici Parte comprehenſa in toto præſenti opere conſiderabitur. *Prima Pars*, de vocibus, ſeu terminis; *Secunda*, de definitione, diviſione & propoſitione; *Tertia*, de argumentatione, de Syllogiſmo vero, probabili, & apparenti tractabit. Singula hæc diſtribuuntur in Titulos, Tituli deniq; in Puncta. Sit itaq;

PRÆAMBULUM I.

De Natura & Causis Dialecticæ.

§. 1mus.

Explicans Definitionem & Divisionem Dialecticæ.

Quid significat nomen Logica & Dialectica?

1. LOGICA ex vi sui nominis, quod est Græcum, idem significat, ac *Rationalis* à ratiocinando dicta. *Dialectica* autem, idem, ac *disputativa*, seu *discursiva* scientia à disputando & discurrendo. Proinde, sive Logica, sive Dialectica, est illa Philosophiæ pars, quæ modum ratiocinandi, disputandi & discurrendi sine errore, unicuiq; porrigit.

Quid est Dialectica quò ad rem?

2. *Est scientia speculativa entium rationis, quæ dirigunt tres mentis operationes in definiendo, dividendo & argumentando*, Convenit hæc definitio ,tam Logicæ parvæ, seu Dialecticæ, quàm etiam Logicæ magnæ. *Dicitur Dialectica scientia:* sic enim eam *D. Thomas 4. Meth. Lect: 4.* appellat consentiens in hoc Aristoteli, qui Dialecticam pluribus in locis, maximè tamen *1. Poster; cap: 10.* simpliciter appellat scientiā demonstrativam. *Tum* quia objecto illius, nempe enti rationis scibilitas competit: nam cognoscitur per causam neces-

necessariam, & quòd illius causa sit, & quòd aliter se non possit habere. *Dicitur speculativa entium rationis;* nam ad cognitionem duntaxat veritatis talium entium Dialectica per se ordinatur. *Dicitur, quæ dirigunt tres mentis operationes &c.* nam hæc sola entia rationis à Logico considerantur, quæ cognitionem humanam dirigunt ad comparandas alias omnes disciplinas, quæ solùm acquiruntur per definitionem, divisionem & argumentationem.

Quotuplex est Dialectica?

3. Dialectica communiter dividitur in naturalem & artificialem; artificialis autem, in docentem & utentem.

Dialectica naturalis, est potentia homini à DEO cum anima rationali infusa, quâ quilibet, etiam rudis, definire, dividere, ac discurrere potest, saltem imperfectè & in materia facili. Ac proinde intellectus humanus habet principia, seu semina inferendi unum ex alio in se ipso. Hinc homo rationis compos ex hoc antecedente: *cœlum nubibûs obductum est:* potest inferre: *ergo pluvia speranda.*

4. *Dialectica artificialis*, sunt præcepta quædam, quæ potentiam naturalem adjuvant, ne erret in definiendo, dividendo & inferendo unum ex alio. Hanc D. Augustinus *disciplinam omnium disciplinarum* appellat; Cicero autem *scientiam veri & falsi disceptatricem.* Hæc artificialis Logica,

 est pluri-

est plurimùm necessaria intellectui humano, qui est subjectus variis erroribus in dirigendo suos actus definiendi, dividendi & argumentandi: ne igitur DEUS & natura desit in necessariis, regulas & præcepta Dialecticæ, quibûs dirigatur, illi providit.

5. *Dialectica docens* est, quæ tradit regulas & præcepta bene definiendi, dividendi & argumentandi.

6. *Dialectica utens*, est applicatio regularum à docente Logica porrectarum ad rectè definiendum, dividendum & argumentandum In quo Dialectica convenit, cum cæteris quibusq; artibus: quælibet enim ars præscribit certas regulas conficiendi opus suum *vg.* ars pictorea, artificiosè depingendi imaginem; deinde actualem applicationem regularum suarum, seu confectionem operis artificiosi *v.g.* confectionem imaginis. Quod ipsum, ùt clarè patet, reperitur in Dialectica docente & utente per ordinem ad opus definitionis divisionis & argumentationis conficiendum.

§. 2dus.

De causis Dialecticæ,

Quot sunt causæ universaliter?

7. IN Philosophia (quæ est cognitio omnium rerum naturalium per causas) quatuor in universum asignantur causæ: materialis, formalis, efficiens & finalis.

8. *Causa*

8. *Causa materialis* est triplex. *1ma.* vocatur *ex qua*, ex qua nempe aliquid producitur: ùt ex auro annulus, ex argilla vas. *2da. in qua*, nempe, in qua aliquid tanquam in subjecto recipitur: ùt in anima scientia, in muro albedo. *3tia. circa quam*, estq; illud objectum, circa quod aliqua scientia vel potentia versatur, ùt musica circa numerum sonorum, visus circa colorem.

9. *Causa formalis*, est illa forma, quæ dat esse rei, aut substantiale, ùt anima rationalis homini; aut accidentale, ùt virtus, scientia, esse virtuosum, aut scientificum.

10. Et hæ duæ causæ vocantur intrinsecæ: quia intrant ipsius rei constitutionem; sicut duæ sequentes dicuntur extrinsecæ; quia sunt extra ipsam rem, ùt constat.

11. *Causa efficiens* dicitur illa, quæ est productiva alicujus effectûs, ùt statuarius statuæ, DEUS creaturæ per creationem.

12. *Causa finalis*, est bonum illud, quod movet agens ad agendum: sic beatitudo æterna movet hominem ad operationem virtutis; gloria sperata, ad ardua opera. Et hæc aliter vocatur *finis qui*, ad differentiam *finîs cui*, qui est illud subjectum, cui volo bonum illud, quod movet ad agendum: sic homo ille, cui volo beatitudinem æternam, cui volo gloriam, vocatur *finis cui*, ipsa verò beatitudo, gloria, *finis qui*.

Quæ ergo sunt causæ Dialecticæ?

13. Dialecticæ causa *materialis ex qua*, est nulla: quia Dialectica est accidens pertinens ad Prædicamentum Qualitatis: accidentia autem nullam habent materiam ex qua producantur. *Causa materialis in qua*, est ipse intellectus, in quo, tanquam in subjecto recipitur Dialectica. *Causa materialis circa quam*, est objectum, circa quod Dialectica versatur, nempe ens rationis directivum actuum intellectûs in definiendo, dividendo & argumentando: nam circa hoc, est tota & principalis cura in Logica.

14. *Causa formalis Dialecticæ* est illa, quæ Dialecticam in suo esse constituit. Hanc propriè dictam Dialectica non habet: nam ipsa Dialectica est forma quædam adveniens subjecto, nempe intellectui humano, formæ autem non datur forma, ne detur processus in infinitum. Locum tamen causæ formalis in Dialectica supplet, methodus procedendi in ea, quæ est à toto ad partes.

15. *Causa efficiens Dialecticæ*, sicut & cujuslibet scientiæ, est intellectus humanus, tanquam causa proxima; nam remota causa omnium scientiarum, est DEUS Gloriosus.

16. *Causa finalis Dialecticæ*, *imò.* est gloria DEI, ad quam omnes scientiæ nostræ principaliter ordinari debent; *2dò.* perfectio intellectûs humani, ut in definiendo, dividendo & argu-

mentando ſine errore procedat. Et hæc cauſa finalis vocatur aliter *finis qui*, ad differentiam *finis Dialecticæ cui*, qui eſt ille homo, cui volo & opto Dialecticam.

PRÆAMBULUM II.

De objecto, ſeu ſubjecto Dialecticæ & ente rationis.

Quid eſt objectum in communi?

17. Eſt illud, circa quod aliqua ſcientia, vel potentia verſatur. Et ideo, quia Medicina circa corpora infirma verſatur, ut illis medeatur; corpus ſanabile, eſt objectum Medicinæ; quia potentia olfactiva verſatur circa odorem, odor eſt objectum illius.

Quotuplex eſt objectum?

Aliud eſt materiale, aliud formale, aliud adæquatum, aliud inadæquatum.

18. *Objectum materiale* dicitur illud, quod non per ſe, neq; ratione ſui, ſed ratione alterius, videlicet ratione objecti formalis ab aliqua ſcientia, vel potentia attingitur. Sic in pomo attingit potentia viſiva rotunditatem pomi, non ratione ſui, ſed ratione coloris.

19. *Objectum formale* è contra, quod ratione ſui & per ſe attingitur ab aliqua ſcientia vel potentia. Hinc quia potentia viſiva attingit corpus

pus illud videndo non ratione ſui, ſed ratione coloris, colorem autem videt ratione ſui; ideo color, eſt objectum formale potentiæ viſivæ, corpus autem, eſt objectum materiale illius. Similiter, quia ſcientia medica corpus hominis juvenîs, aut ſenis, non ratione ſui attingit, ſanabilitatem autem corporis humani, ratione ſui: ideo ſanabilitas corporis humani infirmi, eſt objectum formale Medicinæ, corpus autem hominis juvenîs aut ſenis, eſt duntaxat objectum illius materiale.

20. *Objectum formale* ſubdividitur in formale quod, ſeu rationem formalem quæ, & in formale quo, ſeu rationem formalem ſub qua. *Objectum formale quod, ſeu ratio formalis quæ*, eſt ipſa entitas, quæ per ſe attingitur, & quæ ratione ſui immediatè id præſtat, ut objectum materiale ſit attingibile. Tale objectum in potentia viſiva eſt color, qui & ratione ſui videtur, & hoc immediatè præſtat, ut corpus, quod eſt objectum materiale, ſit viſibile.

21. *Objectum formale quo, ſeu ratio formalis ſub qua*, eſt illud medium, quo mediante objectum formale *quod, ſeu ratio formalis quæ*, ab aliqua potentia vel ſcientia ultimatò redditur attingibile vel conſiderabile. Sic reſpectu rei viſibilis, lux eſt objectum formale *quo, ſeu ratio formalis ſub qua*: quia mediante luce à potentia viſiva objectum viſibile ultimatò fit attingibile: ſi enim lux deeſſet, quamvis & res viſibilis, &

color

color adesset, non redderetur ultimatò attingibilis ab eadem potentia visiva, proùt per se patet.

22. In objectis scientiarum *ratio formalis sub qua* vocatur abstractio, de qua mox dicetur: nam illa mediante objectum scientiarum attingitur ab intellectu. *Ista ratio formalis sub qua*, comprehendit sub se lumen & media, quibûs potentia, vel habitus tendit in suum objectum. *Item* comprehendit sub se abstractionem à materia: nam abstractio à materia in scientiis obtinet Locum luminis, quo mediante attingit scientia suum *objectum formale quod*.

Quotuplex est abstractio?

TRiplex à Philosophis assignatur. *1ma à materia singulari sensibili, non tamen communi*, quæ, est cognitio objecti sine conditionibus materialibus individuantibus, ac sensu perceptibilibus. Istius abstractionis usus datur in Physica: illa enim speculatur objectum suum, ùt materiale materiâ in communi, non tamen materiale in individuo & sensu perceptibile. *2da à materia singulari, sensibili, communi, non tamen intelligibili*; estq; cognitio objecti sine omni prorsus materia, etiam communi; non excludit tamen materiam intelligibilem. Cujus abstractionis usus, est in Mathematica; Mathematicus enim contemplatur figuram *vg.* sphæricam, vel triangularem absq; hoc, quòd sit in cælo, vel in argento, vel

in ligno

in ligno; non intelligitur tamen ejusmodi figura sine aliqua materia, cui secundùm rem inesse debet: atq; ideo tale objectum Mathematici connotat materiam intelligibilem. *3tia ab omni materia singulari, sensibili, communi & intelligibili*: quæ est cognitio objecti formalis abstracti ab omni materia, tam secundùm rem, quàm secundùm rationem. Quod fit dupliciter; *aut positivè*, & hæc convenit Methaphysicæ, quæ essentias rerum contemplatur ab omni materia abstractas, quæ vel materiam propter suam perfectionem non includunt, ùt DEUS & Angeli, vel includere possunt, ùt res materiales; sine ea tamen considerantur. *Aut negativè*, quæ competit Logicæ; hæc enim abstrahit materiam ab entibus rationis, quam non habent, neq; habere possunt propter sui imperfectionem. Non solùm autem usus, sed etiam summa necessitas datur hujusmodi abstractionis in scientijs: nam, cùm intellectus humanus sit immaterialis, ut objectum intelligat, sibiq; conjungat, debet illud immaterialitati suæ proportionatum facere, ac quodammodo illud immaterialisare: hoc autem efficit per abstractionem naturæ objecti ex se materialis à materia, juxta tres prædictos abstractionis gradus.

23. *Objectum adæquatum*, ùt inquit *D. Thomas in Prologo senten:* illud dicitur, quod ita adæquat scientiam, ut neq; illam excedat, neq; excedatur à scientia. Proinde debet complecti omnia,

quæcunt

quæcunq; in illa tractantur: aliter vocatur *totale*, tale est ens mobile in Physica, numerus in Arithmetica.

Objectum inadæquatum est, quod non adæquat scientiam, sed solùm est pars illius contenta sub adæquato, & dicitur *partiale*: tale est ens mobile cœleste in Physica, numerus par, vel impar in Arithmetica.

24. *Objectum respectu* scientiarum solet etiam vocari *subjectum*. Nihilominus subjectum *vel est inhæsionis*: quod subjicitur formis accidentalibus, easq; recipit, ùt paries albedinem, anima virtutem, vel vitium. *Vel est subjectum prædicationis*, quod est ille terminus, qui in aliqua Propositione Dialectica ponitur pro Subjecto. sic in ista propositione: *sol est lucidus*, sol dicitur subjectum, quia subjicitur huic prædicato, quod de sole dicitur, *lucidus*. Vel denique *subjectum Attributionis*, quod nimirum attribuitur alicui scientiæ, subjiciturq; illius passionibus, ac proprietatibus. Unde solùm hoc modo tertio sumptum subjectum, vocari solet objectum scientiæ, vel materia circa quam.

Quod est objectum Dialecticæ?

25. *Imò. Objectum materiale Dialecticæ*, sunt res ipsæ cognitæ per operationes intellectûs, quæ appellantur conceptus objectivi. Sic enim D. Thomas 4. Met: lec: 4. loquitur: *Logica ad omnia se extendit, de quibus ens natura prædicatur.*
2dò Objectum formale quod, seu ratio formalis quæ

est ens

est ens rationis directivum actuum intellectûs in definiendo, dividendo & argumentando; jam autem *ratio formalis sub qua*, est abstractio ab omni materia negativè: hæc enim habet quandam rationem luminis, quo mediante Logica attingit ens rationis.

3tiò. *Objectum adæquatum* Dialecticæ, est ipsum ens rationis directivum: nam hoc omnia complectitur sub sua ratione, quæcunq; in Dialectica considerantur.

4tò. *Objectum inadæquatum*, est syllogismus, Propositio, definitio, & aliæ singulatim sumptæ partes objecti totalis Dialecticæ.

Quid est ens in communi? & quotuplex?

26. *Ens imprimis dicitur id, quod habet esse*, sicut mundus, *aut saltem habere potest*, ùt alter mundus creabilis. Et hoc ens in communi sumptum, est duplex: reale & rationis. *Ens reale dicitur*, quod habet suum esse, aut actuale, aut possibile extra cognitionem intellectûs: tale esse actuale, habet Angelus, elementa; possibile autem esse habet Angelus, sol alius producibilis. Et tale ens, utpotè strictissimè sumptum, contradictoriè opponitur nihilo.

27. *Ens rationis vocatur* id, quod habet suum esse objectivè tantùm in intellectu. *Dicitur objectivè tantùm*, ad differentiam illorum entium & naturarum, quæ intellectui cognoscenti ita objiciuntur, ut etiam reale suum esse habeant: nam cognita ab intellectu humano natura *vg.* Lapidis,

dis, animalis, hominis, habet in cognoſcente intellectu eſſe objectivum ita; ut etiam extra illum idem reale eſſe habeat in ſuis inferioribus. Jam verò ens rationis, ita in cognoſcente intellectu habet eſſe; ut extra illum, nullum eſſe habeat, ſed ceſsante cognitione illius, ceſſet habere eſſe. Et in hoc ſenſu ens rationis, non eſt purum nihil, quia habet aliquod eſſe in apprehenſione: adeoq; eſt veluti medium inter ens & purum nihil; nam ex una parte, non eſt ens reale, ex alia parte, non caret quocunq; eſſe, ſaltem in intellectu, actu illud cognoſcente.

28. *Ens rationis, aliud eſt rationis ratiocinantis*, ſeu ſine fundamento in re, quod intellectus concipit, non habens fundamentum talis conceptûs, ùt chymæra, hircocervus. *Aliud rationis ratiocinatæ*, ſeu cum fundamendo in re, quod intellectus cognitione reflexa ac ſecundaria concipit, habens ſui conceptûs fundamentum reale, ùt eſt relatio prædicati ad ſubjectum in Propoſitione, relatio naturæ ſive genericæ, ſive ſpecificæ ad ſua inferiora, quam intellectus concipit in his naturis abſtractis, atq; ad eadem ſua inferiora, à quibus abſtractæ fuerant, comparatis. Talis eſt relatio naturæ animalis genericæ ad ſuas ſpecies, à quibus fuit abſtracta per primariam cognitionem ejuſdem naturæ, & rurſus per ſecundariam cognitionem ac reflexam, ad illas relata. Similiter ſe habet relatio naturæ hominis ſpecificæ ad ſua individua. Et hæc utraq;

relatio

relatio superioris ad inferiora resultat ex hac secundaria & reflexa cognitione, per quam superius, sive sit genus, sive species, comparatur atq; refertur ad inferiora, nempe genus ad species, species ad individua.

29. *Hoc ens rationis ratiocinatæ dividitur in negationes*, quæ dicuntur carentiæ formæ in subjecto inepto ad talem formam, ùt carentia scientiæ in bove, intellectûs in lapide Quarum negationum est fundamentum in re, illa implicantia talium formarum in subjecto. *In privationes*, quæ sunt carentiæ formæ in subjecto apto, ùt carentia scientiæ in homine, visûs in equo. Ipsa igitur aptitudo in subjecto, dat fundamentum in re privationum, *Et in relationes*, quæ sunt quidam respectus consequentes rem cognitam ab intellectu, qualis est universalitas in natura vg. humana: in illa enim cognita sine suis individuis, resultat relatio rationis ad sua inferiora. *Negationes tamen & privationes, si* sumantur per modum formarum removentium aliquid à subjecto, sunt quid reale, quòd si sumantur per modum formæ positivæ, aliquid in subjecto ponentis, ita sunt entia rationis.

PRÆAMBULUM III.

De prædicabili & universi in cõmuni.

Quomodo differunt inter se prædicabile & universale?

30. QUamvis hæc secundùm rem non differunt

runt: utrumq; enim est vox communis multis univocè; differunt tamen secundùm rationem: quia universale, est veluti subjectum, prædicabile autem, est tanquam propria passio hujus subjecti. Et ideo universale, est quid priùs, prædicabile, est quid posterius: nam priùs aliquid debet esse in multis, quod convenit universali, postea sequitur prædicari de illis, quod proprium est prædicabilis, juxta illud: *dici de, præsupponit esse in.*

Quid est prædicabile & Universale?

37. PRædicabile, est vox communis multis & prædicabilis de illis univocè, hoc est, & secundùm nomen, & secundùm naturam tali nomine significatam. *Universale* similiter, est vox communis multis habens suum esse in illis univocè: id est, debet esse in suis inferioribus & secundùm nomen, & secundùm naturam tali nomine significatam. Talis vox universalis & simul prædicabilis est *vg.* animal, cujus nomen, est commune multis, nempe homini, bovi, leoni *&c.* & ipsa tali nomine significata animalis natura, nempe, quòd sit vivens sensitivum, pariter est in illis, & prædicatur de eis, ùt patet consideranti. Sic hoc nomen *animal*, est in homine, Leone, bove, prædicaturq; de illis: nam bona est hæc prædicatio: homo est animal, leo est animal, bos est animal. *Item* hæc natura animalis, nempe *vivens sensitivum*, est similiter in homine; leone, bove, prædicaturq; de illis:

bone

bene enim enuntio, homo eſt vivens ſenſitivum, leo eſt vivens ſenſitivum, bos eſt vivens ſenſitivum, & ſic de cæteris. Quamvis autem animal perfectiùs eſt in homine *vg.* quàm in muſca, vel culice; id tamen non impedit univocationem, quia hæc inæqualitas perfectionis, eſt ſolùm phyſica, proveniens ex differentia, quæ nihil obſtat univocationi metaphyſicæ; naturæ communis.

Quotuplex eſt Univerſale?

32. *Univerſale* proùt à Logico conſideratur, aliud eſt in eſsendo, aliud in prædicando, aliud materiale, aliud formale. Quapropter omittimus hic diviſionem *Univerſalis in cauſando*, quod unum eſt, & cauſat multa, ut DEUS, ſol, *&c.* *Univerſalis in ſignificando*, quod unum eſt, & ſignificat multa, ùt plebs, exercitus, Gens: *Univerſalis in repræſentando*, quod unum eſt & repræſentat multa, ùt ſpecies intelligibilis angelica, imago, ſpeculum, *&c.* *&* *univerſalis in cognoſcendo*, quod eſt unum, & cognoſcit multa. ùt intellectus: quia horum conſideratio, huc non pertinet.

33. *Univerſale in eſsendo* communiter definitur, *quod ſit unum, aptum ineſſe multis.* Nam ad aſsentiam univerſalis id non requiritur, ut actu ſit in inferioribus, ſed ſufficit, quòd ſint ſaltem poſſibilia, ut eis ineſse poſsit. Sic natura Solis eſt univerſalis, quamvis actu non inſit pluribus; quia poteſt eſse in pluribus ſolibus, qui

ſunt

ſunt poſſibiles. Præterea debet ineſse multis per identitatem & cum reali multiplicatione ſui, ita; ut natura, quæ eſt in multis, in illis, quibus ineſt, realiter multiplicetur. Ut igitur aliquid ſit verè univerſale in eſsendo, hæc requiri: ut habeat unitatem quandam communem, aptitudinem ineſsendi cum multiplicatione, & pluralitatem inferiorum ſaltem in potentia, quorum aliquo deficiente, in natura; nequit dici univerſalis ineſsendo.

34. *Univerſale in prædicando eſt unum aptum prædicari de multis.* Iſta aptitudo ad prædicandum de multis, non eſt eſſentia univerſalis Logici, ſed ſolùm proprietas. Ideoq; etiam hæc definitio univerſalis, licèt non ſit rejicienda, non eſt tamen eſsentialis, ſed deſcriptiva: datur enim per proprietatem definiti.

35. *Univerſale materiale*, ſeu fundamentale, ſeu Metaphyſicum, ſeu primò intentionale, eſt ipſa natura abſtracta à ſuis inferioribus, ſeu ſine illis cognita, objectivè præſens in intellectu, quæ denominatur univerſalis. *Univerſale formale*, ſeu Logicum, ſeu ſecundò intentionale; eſt ipſa univerſalitas à qua tanquam à forma denominante, natura aliqua denominatur univerſalis, includens relationem rationis ad ſua inferiora. Sic intellectus humanus cognoſcens naturam animalis ſine homine, leone, bove, &c. vocatur univerſalis primò intentionaliter, metaphyſicè, materialiter. In qua animalis natura à ſuis ſpeciebus

abstracta dum idem intellectus secundariò cognoscit universalitatis formam, ùt dicentem relationem rationis ad easdem species, sine quibus fuit cognita, per talem cognitionis actum, producit intellectus universale, formale, Logicum & secundò intentionale.

PRÆAMBULUM IV.

De prædicabilibus in communi & in particulari.

§. Imus.

De numero Prædicabilium & modis prædicandi.

Quot sunt Prædicabilia? & modi prædicandi?

36. COmmuniter Universale dividitur in quinq; Prædicabilia, quæ sunt: Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens.

Hic numerus specierum universalis, colligitur ex modis prædicandi, qui cùm solùm quinq; inveniuntur; ideo & Prædicabilia, quinq; esse colliguntur. Nam generaliter omnia prædicantur, vel in quid, vel in quale. *In quid* prædicatur genus & species: illud de suis speciebus, hæc de suis individuis. *In quale* prædicantur Differentia, Proprium & Accidens: *Differentia in quale essentiale*, *Proprium in quale accidentale convertibiliter & necessariò*: *Accidens* in quale accidentale contingenter. Igitur juxta hos quinq; prædicandi modos,

modos, præter quos alii non inveniuntur; quinq; assignantur Prædicabilia.

Quomodo explicantur hi generales prædicandi termini: *prædicari in quid, & prædicari in quale?*

37. Sic: *prædicari in quid*: id est respondere ad istam quæstionem, quid est? ad quam bene respondetur in Prædicabilibus Generis & speciei *vg.* quid est homo? respondetur per Genus: est animal. Pariter, quid est Petrus? respondetur; per Speciem; est homo. *Prædicari autem in quale* id est, ad istam quæstionem, qualis res est? respondere: quod fit in tribus Prædicabilibus: in Differentia, Proprio, & Accidente *vg.* ad quæstionem, qualis est homo? bene respondetur, vel per differentiam, est rationalis; vel per proprium; est risibilis; vel deniq; per Accidens, est doctus.

In quo differunt hæ prædicationes: *prædicari in quale accidentale convertibiliter, necessariò, & in quale accidentale contingenter.?*

38. Hòc; quia, quod prædicatur in quale accidentale convertibiliter ac necesſariò, convertitur cum suo subjecto, & cum eo necessariam habet connexionem; nam conjunctum est illius esſentiæ, ex qua profluit. Vocatur tamen Accidens, quia sine illò subjecti natura & esse, & intelligi potest. Tale est risibile respectu hominis, quod convertitur cum suo subjecto, nempe cum homine; natura tamen ac essentia hominis potest intelligi sine risibilitate, quamvis

ſine ea eſse naturaliter homo non poſſit. *Quod autem prædicatur in quale Accidentale contingenter*, prædicatur ita, ut aliquando inſit ſubjecto, aliquando non inſit: ùt, cùm prædicatur doctum de homine; hoc prædicatum, aliquando ineſt homini, aliquando non ineſt: nam non eſt ſubjecto connexum neceſſariò, ſicut Accidens Proprium.

§. 2dus.

DE GENERE.

Quid eſt Genus?

39. *EST Prædicabile illud, quod habet ſub ſe Species, de quibus prædicatur in quid univocè.* Sic animal prædicatur de homine, leone & aliis ſpeciebus, quas ſub ſe continet; idq; prædicatur de illis, tam ſecundùm nomen, quàm ſecundùm naturam tali nomine importatam. Et hæc definitio convenit Generi Logicè ſumpto, prout nimirum dicit relationem ad ſuas Species, quam intellectus in natura generica, reali, abſtracta cognoſcit: idq; ad differentiam Generis metaphyſicè ſumpti, quod eſt ipſa natura generica, apta eſse in pluribus Speciebus.

Quotuplex eſt Genus?

40. *Genus aliud eſt ſupremum*, quod ita eſt Genus, ut nunquam poſſit eſſe ſpecies, quale eſt Prædicamentum vg. Subſtantiæ, Accidentis. *Aliud ſubalternum, ſeu Intermedium*, quod ita eſt

Genus, ut alio respectu etiam species esse possit. Sic corpus respectu substantiæ est Species; respectu autem alio, nempè viventis, est Genus. *Aliud Infimum*, quod infra se solas species habet, & nullum Genus, quale est animal respectu hominis, non respectu bruti, quod est quoddam Genus, quod subicitur animali, habetq; sub se certas Species.

Quotupliciter sumitur Genus?

41. Genus solet sumi *vel potentialiter* pro toto potentiali, prout est abstractum à suis speciebus: sic enim sumptum Genus, Species & Differentias specierum solùm potentiâ continet, estq; tali respectu, quoddam totum. *vel actualiter*, dum cum differentia, tanquam altera sui comparte, actu constituit speciem, sicq; suæ speciei est pars. Et ita, natura animalis abstracta à suis Speciebus est quid potentiale ac totum; quia suas Species potentiâ continet; eadem verò natura, prout cum Differentia essentiali conjuncta *vg.* cum rationali, constituens hominem, dicitur Genus actuale & pars hominis.

§. 3tius.

DE SPECIE.

Quid est Species?

42. *SPecies, est illud Prædicabile, quod ponitur sub Genere, & prædicatur de individuis suis in*

quid univocè vg. homo, qui ponitur ſub animali, & prædicatur de Petro, Paulo &c. Hæc autem Species vel *ſumitur pro natura ſpecifica* abſtracta à ſuis individuis, & ſic eſt quid reale, vocaturq; Species ſumpta materialiter, primò intentionaliter ac Metaphyſicè; *vel ſumitur eadem natura abſtracta* prout dicit relationem rationis ad ſua individua; vocaturq; Species formaliter, Logicè ac ſecundò intentionaliter.

Quotuplex eſt Species?

43. Species dividitur in ſubicibilem, prædicabilem, ſubalternam & infimam. *Subicibilis Species* eo reſpectu vocatur, quòd Generi ſubicitur: *prædicabilis autem*, quòd de ſuis individuis prædicatur. Sicut homo ex eo, quòd ſubjicitur animali, dicitur Species ſubicibilis; ex eo autem, quòd prædicatur de Petro, Paulo, dicitur Species prædicabilis.

Species ſubalterna, quæ ita ponitur ſub genere, ut etiam ſub ſe habeat ſpecies: qua de cauſa etiam Genus eſſe poteſt. *Infima ſeu atoma*, quæ ita ponitur ſub genere, ut nullam ſub ſe ſpeciem habeat, ſic homo, ita ponitur ſub animali; ut ſub ſe ſola individua contineat: è contra, animal ita ponitur ſub vivente, ut ſub ſe, non ſola individua, ſed etiam ſpecies habeat.

§. 4tus.

§. 4tus.

DE INDIVIDUO.

Quotupliciter sumitur Individuum?

44. Individuum, quod est correlativum speciei, *aut sumitur metaphysicè*, pro natura singulari ac incommunicabili pluribus, & caret omni divisione, tam formali seu specifica; quàm materiali seu numerica. *Aut sumitur Logicè, seu secundò intentionaliter*, estq; id, quod immediatè subicitur Speciei infimæ, & de se uno tantùm prædicatur. Per quod differt ab Universali, quòd de pluribus est prædicabile: dicitq; duos respectus, unum subicibilitatis ad speciem infimam, alterum prædicabilitatis de uno tantùm: & hi respectus conveniunt Individuo Logicè sumpto. Potest tamen Individuum de pluribus prædicari, si sumatur pro secunda intentione individualitatis, non verò sumptum pro natura individuali.

Quotuplex est Individuum?

45. *Individuum aliud dicitur vagum*, quod rem singula rem ac individuam significat, sed confusè & indeterminatè ita; ut quamvis nominetur, non possit intelligi, de quo sit sermo *vg.* quidam homo, aliquis oculus. *Aliud determinatum*, quod rem singularem determinatè significat *vg.* Peripateticorum Princeps, id est Aristoteles, Petrus, hic homo *&c.*

§. 5tus.

DE DIFFERENTIA.

Quid est differentia?

46. DIfferentia Logicè sumpta pro illo respectu rationis, quem dicit ad sua inferiora, *est illud Prædicabile, per quod una res differt ab alia & prædicatur de pluribus specie, vel numero differentibus in quale essentiale univocè.* Dicitur *de pluribus specie differentibus* propter Differentiam genericam, qualis est *vg.* sensitivum, quod est differentia viventis, prædicatur de homine leone *&c.* Dicitur *vel numero differentibus* propter Differentiam specificā, ùt Differentia hominis, rationale, quæ prædicatur de Petro, Paulo *&c. Si autem metaphysicè sumatur Differentia*, tunc est pars totius essentiæ abstracta à suis inferioribus *vg.* rationale pars essentiæ hominis.

Quotuplex est Differentia?

47. Dividitur *1mò.* in communem, propriam, & maximè propriam. *Differentia communis est*, per quam unum differt ab alio, accidente separabili, ùt ambulans differt à sedente, doctus ab indocto. *Propria est*, per quam aliquid differt ab alio, accidente inseparabili, aut proprietate. Sicut corvus differt á cygno per nigredinem, homo ab equo per risibilitatem. *Differentia maximè propria* constituens hoc prædicabile est illa,

per quam unum ab alio differt essentialiter, ùt homo per rationale à leone, & hæc vocatur Differentia essentialis, 1mæ duæ dicuntur accidentales.
2dò. Differentia alia est *constitutiva*, quæ adjuncta generi proximo, constituit speciem, sic rationale adjunctum animali constituit hominem. *Alia Divisiva*, quæ cum opposita Differentia dividit Genus in suas species, ùt corporeum & incorporeum dividunt substantiam, rationale & irrationale dividunt animal.

§. 6tus.

DE PROPRIO.

48. LIcètsi Proprium sumatur quatuor modis *imò*. pro eo, quod convenit soli alicui speciei, sed non omni illius individuo, sicut esse Philosophum, soli speciei humanæ, sed non omni individuo competit. *2dò*. quod convenit omni Individuo alicujus speciei; sed non soli tali speciei, ùt esse bipedem omni individuo humano convenit, sed non soli speciei hominis, sed etiam avibus. *3tiò* quod convenit soli alicui speciei & omni ipsius individuo, sed non omni tempore, ùt ridere actu, omni individuo humano & soli speciei hominis competit, sed non semper. *4tò*. deniq; quod competit omni individuo alicujus speciei, soli tali speciei & pro omni tempore, ùt esse risibilem, sumpta risibilitate pro aptitudine ad ridendum. Primæ

tamen tres acceptiones Proprij pertinent ad accidens, sola quarta constituit quartum prædicabile.

Quid est Proprium, ùt constituit 4tum Prædicabile?

49. *Est prædicabile, quod uni rei propriè convenit, & prædicatur de suis inferioribus in quale, necessariò & convertibiliter*, ùt est risibile respectu hominis; quia illi uni propriè convenit, de suisq; inferioribus necessariò & convertibiliter ad differentiam accidentis communis prædicatur.

In ratione ergo Universalis Logici constituitur Proprium per respectum ad individua suæ speciei; hac enim ratione, est quid superius ad illa, ad speciem autem est quid æquale; sicq; sumptum dicitur secunda intentio.

§. 7mus.

DE ACCIDENTE.

50. IN præsenti non agitur *de Accidente physico & prædicamentali*, quod nempe opponitur substantiæ, cujus natura est inhærere alteri tanquam subjecto, qualia accidentia sunt, omnia entia novem Prædicamentorum, ùt Quantitas, Qualitas, Relatio *&c.* sed agitur *de Accidente Logico ac prædicabili*, quod est extra essentiam rei, neq; cum illa necessariò connectitur, sed omnino contingit essentiæ, sive illud sit reale, sive rationis, sive substantia, sive Accidens

dens

dens, ideoq; hoc accidens prædicabile latiùs patet, quàm prædicamentale.

Quid est Accidens Logicum.

51. *Est Prædicabile, quod potest abesse à subjecto, vel illi adesse, sine subjecti per ejus positionem, vel ablationem destructione, & hoc prædicatur de suis inferioribus in quale accidentale contingenter.* In qua definitione, *1mæ* particulæ exprimunt naturam accidentis Logici primò intentionaliter accepti; reliquæ particulæ, *& hoc prædicatur &c* accidens Logicum secundò intentionaliter sumptum definiunt; primò intentionale enim accidens, est fundamentum accidentis Logici secundò intentionalis.

Quàm utilitatem adfert notitia quinq; Prædicabilium?

52. Utilis est Prædicabilium notitia, *1mò*, ut per illa cognoscantur Prædicamenta: hæc enim sunt coordinatio generum & specierum directè, collateraliter etiam differentiarum. *2dò* ad formandas definitiones rerum: nam quælibet bona definitio Logica debet constare Genere & Differentiâ. *3tiò* ad faciendas divisiones: nam Genus distribuitur in species per suas Differentias. *4tò* ad demonstrationes: quia medius terminus demonstrationis debet esse vel Differentia essentialis, vel definitio constans Genere & Differentiâ.

PRÆAMBULUM V.

De Ante-Prædicamentis.

53. IN doctrina ante-Prædicamentali adfert Aristoteles definitiones univocorum, æquivocorum, analogorum, denominativorum, divisiones vocum & rerum, deniq; regulas ante-Prædicamentales duas: quorum singulorum notitia utilis est ad hoc, ut cognoscatur, quæ sunt rejicienda à Prædicamentis, & quæ ponenda, quæ sub, quæ supra, quæ directè, quæ collateraliter, quæ reductivè sint in illis collocanda.

§. 1mus.

DE UNIVOCO.

Quid est Univocum?

54. Est prædicatum tale, quod multis convenit, & secundùm idem nomen, & secundùm eandem naturam tali nomine significatam: ùt *Ly* Prædicatum *homo* convenit multis, nempe Petro, Paulo &c. tam secundùm nomen; quia quilibet dicitur homo; quàm secundùm naturam tali nomine significatam: quia sicut hominis natura consistit in hoc, quòd sit animal rationale; ita hæc natura per tale nomen significata cuilibet individuorum hominis verè convenit. Ut ergo aliqua conveniant in natura univocè, debet natura in illis reperta è suo

obje-

objectivo & essentiali conceptu omnem diversitatem excludere.

55. Ex univocis prædicatis illud dicitur *Univocum univocans*, quod est multis commune vg. *ly* Prædicatum *homo*. Illa verò dicuntur *Univoca univocata*, quæ sunt respectu univoci univocantis inferiora. Qualia sunt respectu *vg.* hominis, Petrus, Paulus *&c.*

§. 2*dus.*

DE ÆQUIVOCO.

Quid est Æquivocum?

56. *EST Prædicacatum multis commune conveniens illis secundùm nomen tantùm, & nullo modo secundùm nominis illius naturam.* Nam hæc natura nomini æquivoco accomodata, est diversa. Tale æquivocum nomen est homo vivus, & homo pictus: nam in solo nomine conveniunt, natura autem hominis vivi & picti non est utriq; communis, sed omnino diversa, ùt clarè patet.

57. *Æquivocum æquivocans* dicitur vox illa communis multis, ùt *ly* homo respectivè ad hominem vivum & pictum. *Æquivoca autem æquivocata dicuntur*, talis vocis inferiora, ùt hic homo vivus, & homo pictus.

§. 3*tius.*

DE ANALOGO.

Quid est

Quid est Analogum?

58. Analogum, quod medium locum obtinet inter univoca & æquivoca, *est prædicatum commune multis, quibus convenit secundùm idem nomen, jam autem secundùm naturam tali nomine importatam in aliquo convenit, in aliquo diversum est*. v.g. hoc nomen pes, convenit multis, nempe pedi animalis, & pedi mensæ; natura tamen pedis, quæ est sustentatio corporis, in aliquo utriq; convenit, nimirum in sustentando, in aliquo diversa est: nam pedi animalis convenit ratio sustentandi vitaliter, jam autem pedi mensæ, convenit proportionaliter ex arte.

Quotuplex est Analogum?

59. Duplex imum *Analogum Attributionis seu proportionis*, cujus nomen est commune multis, natura autem tali nomine designata, est eadem secundùm terminum; sed diversa secundùm habitudines ad illum. Sit tale nomen *sanum*, quod est commune medicinæ, pulsui, deambulationi, animali: sed natura sani eadem est in omnibus, secundùm terminum, id est secundùm sanitatem; nam singula hæc sana terminantur ad sanitatem; diversa tamen est natura sani in his omnibus secundùm habitudinem ad terminum, id est ad sanitatem: quia animal respicit sanitatem tanquam subjectum intrinsecè habens sanitatem; deambulatio respicit sa-

nitatem

nitatem, tanquam coſervatiuum illius; pulſus, tanquam ſignum; medicina, tanquam cauſa efficiens.

60. *2dùm Analogum Proportionalitatis*, quod eſt nomen commune multis, natura autem nominis, eſt ſimilis tantùm ſecundùm proportionem quandam. Ut patet in exemplo pedis ſupra allato, vel in viſione, quæ ſecundùm nomen, eſt communis viſioni oculi & intellectûs; natura tamen viſionis licèt ſit ſimpliciter diverſa, eſt tamen utriq; ſimilis ſecundùm quandam proportionem: nam ſicut viſio corporea habet ſe ad oculum; ita viſio intellectiva, ſeu cognitio ad intellectum; & ſicut res viſibilis conjungitur oculo per ſpeciem viſibilem ab objecto ad oculum tranſmiſſam; ita res intelligibilis conjungitur intellectui per ſpeciem intelligibilem intellectui conjunctam.

In quo hæ Analogiæ differunt?

61. In hoc præſertim, quòd in Analogis attributionis ratio ſignificata per nomen Analogum, intrinſecè conveniat ſoli principali Analogato, cæteris verò ſolùm per extrinſecam denominationem ab illo; jam autem in Analogis proportionalitatis, ratio nominis Analogi omnibus analogatis intrinſecè quidem convenit; ſed ſolùm ſecundùm quandam proportionem. Prout utrumq; colligitur ex allatis exemplis.

§. 4tus

§. 4tus.

DE DENOMINATIVIS.

Quid est Denominativum?

62. Eſt illud, quod ſuam appellationem ab aliquo deſumit; ſicut hoc Nomen Philoſophus, deſumit ſuam appellationem à Philoſophia. *In denominativis* igitur tria debent, adverti: *1mum, forma denominans*, à qua res denominatur. *2dum, ſubjectum denominatum*, cui ineſt talis forma. *3tium Denominativum*, quod eſtens ipſum tali formâ denominatũ, vocaturq; à Logicis concretum: ſic Philoſophi forma denominans, eſt Philoſophia; ſubjectum denominatum eſt *vg*. Adam; denominativum deniq; ſeu concretum accidentale, eſt ipſe Philoſophus exprimens ſimul & Philoſophiam, & ſubjectum habens Philoſophiam.

Quotuplex eſt Denominatio?

63. Triplex *1ma. Intrinſeca*, quæ eſt appellatio ab aliquo intrinſeco, ſeu à forma ſubjecto inexiſtente. Qualis eſt appellatio parietis albi, hominis docti, ab albedinis forma parieti, à doctrinæ forma homini inexiſtente. *2da extrinſeca*, quæ eſt appellatio ab aliquo extrinſeco, ſeu à forma non Denominativo, ſed alteri inexiſtente, ùt eſſe cognitum in Sole, deſumit appellationem à cognitione, non ſoli; ſed intellectui inexiſtente. *3tia partim intrinſeca*,

partim

partim extrinseca, quando forma, à qua desumitur denominatio, *partim est* intrinseca subjecto, partim extrinseca. Sic paries albus, denominatur similis alteri parieti albo, & ab albedine sibi inhærente, & ab albedine alteri parieti inexistente.

§. 5tus.

DE DIVISIONIBUS & REGULIS.

64. DIvisiones aliæ sunt vocum, aliæ rerum: *voces* aliæ dicuntur incomplexæ seu simplices, quæ in se non complectuntur plura significativa vocabula, ùt homo, sol, lapis *&c. Aliæ complexæ*, quæ plura significativa vocabula complectuntur, quales sunt Propositiones, axiomata *vg.* lapis est gravis, totum est majus sua parte. *Res pariter aliæ sunt Substantiæ*, quæ per se subsistunt, ùt homo, Angelus. *Alia accidentia*, quæ alteri inhærent, ùt quantitas, qualitas, relatio *&c.*

65. *Regulæ quoq; sunt duæ 1ma.* quidquid convenit prædicato (intellige primò intentionaliter & essentialiter sumpto) convenit & ipsius subjecto *vg.* in hac propositione: homo est animal, quia animali, quod est prædicatum, convenit primò intentionaliter & essentialiter, quòd sit vivens, sensitivum *&c.* etiam ejus subjecto, quod est homo, id ipsum convenit.

2da Regula diversa genera & non subordinata, diversas habent species & differentias. Sic animal & scientia; animal habet rationale mu-

gibile, hominem, bovem *&c.* Scientia; ſpeculativum, practicum, Logicam, Phyſicam, *&c.* Si enim genera ſint ſibi ſubordinata, poſſunt habere eaſdem ſpecies & differentias; ſic animalis & viventis eædem ſunt ſpecies ac differentiæ *vg.* animatum & ſenſitivum, quæ ſe invicem non tollunt.

PRÆAMBULUM VI.
DE PRÆDICAMENTIS.

66. PRædicamenta, ſunt quædam generalia prædicata, quæ in rebus inveniuntur, de illisq; prædicantur, quæ Ariſtoteles ad decem Claſses revocavit, quem ſecutus eſt D. Thomas, aliiq; antiquiſſimi Philoſophi. Idcirco autem ejuſmodi diviſionem doctiſſimi Veterum approbârunt; ut habita notitiâ omnium prædicaorum generalium, unusquiſq; poſſet facilè & ex tempore de omni re diſputare.

Quid eſt Prædicamentum?

67. *Eſt ordo prædicatorum eſſentialium, ſeu generum & ſpecierum ſub ſupremo aliquo genere collocatorum uſq; ad infimam ſpeciem & individua.* Prædicamentum itaq;, cùm ſit ſupremum prædicatum, oſtendit, qui ſunt termini ſuperiores, qui inferiores, & qui ſunt aptiores ad prædicationem & ſubjicibilitatem *vg.* an aptius ſit animal ad prædicationem, homo ad ſubjicibilitatem, in hac propoſitione: homo eſt animal.

Quotu-

Quotupliciter aliquid ponitur in Prædicamento?

Tripliciter, *1mò directè* sicut genera, species & individua. *2dò. indirectè seu collateraliter*, qualiter ponuntur Differentiæ. *3tiò reductivè*, qualiter ponuntur illa, quæ cum ente categorico habent aliquam cognationem. Sic ponuntur partes, materia *1ma*, formæ substantiales, ut est anima; quæ reducuntur ad suum totum; privationes, quæ reducuntur ad formas, quarum sunt carentiæ *vg.* cæcitas; principia & mensuræ; *vg.* unitas; Objectum, quæ reducuntur, ad ea quorum sunt principia & mensuræ; *nam* unitas ad numerum, objectum formale ad habitum, vel potentiam.

Quæ conditiones requiruntur, ut aliquid ponatur directè in Prædicamento?

68. Hæ: *1ma*, ut sit ens reale, idq; si substantiale sit, exponatur nomine concreto; si accidentale, nomine abstracto. *2da*, ut sit ens per se, hoc est unius naturæ, non multiplicis, sicut sunt entia per accidens. *3tia*, ut sit ens univocum: nam entia æquivoca & analoga non habent conceptum simplicem. *4ta*, ut sit completum. *5ta.* ut sit ens finitum: nam ens infinitum neq; est genus, neq; species, neq; individuum; hæc autem sola in Prædicamentis ponuntur. Hanc conditionem illi rejiciunt, qui DEUM in Prædicamento substantiæ collocari volunt. Hæ sex conditiones, solent exprimi hoc distichô:

Vox una & simplex rebus concinna locandis
Entia per sese, finita, realia, tota.

 69. Ejus-

69. Ejuſmodi autem Prædicamenta ab Ariſtotele, quem ſequuntur Veteres, numerantur decem: *Subſtantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, paſſio, ubi, quando, ſitus & habitus.* Et hoc ideò; quia decem ſunt quæſita, per quæ de re ſit inveſtigatio, nempe: quid ſit res? quod convenit ſubſtantiæ; quanta ſit? qualis? ad quid ſit? ſeu ad quid referatur? quid agat? quid patiatur? ubi ſit? quando ſit? quomodo poſita ſit? & quomodo veſtita ſit? Præter quos generales quæſitorum modos alii non dantur. Exprimi ſolet hic numerus Prædicamentorum in Scholis hoc diſtichô.

Subſtantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, paſsio,
Arbor, ſex, ſervos, ardore, refrigerat, uſtos,
Vbi, quando, ſitus, habitus.
Ruri, cras, ſtabo, nec tunicatus ero.

§. 1mus.

DE SUBSTANTIA.

Quomodo hic ſumatur nomen Subſtantiæ?

70. IN præſerti non ſumimus nomen Subſtantiæ pro eſsentia cujuslibet rei, per quam diſtingvitur à prædicatis ſuis accidentalibus, quo ſenſu omne accidens Prædicamentale habet ſuam ſubſtantiam: ſed ſumimus in propria acceptione Subſtantiam pro illa eſſentia, cui per ſe convenit ſubſiſtere. Sic ſumpta Subſtantia definitur communiter hoc modô: *eſt*

ens per

ens per ſe ſubſiſtens. Id eſt, non indigens alio, ùt ſubjectô inhæſionis: quamvis eadem Subſtantia creata, de qua loquimur, ſit defactò ſubjectum inhæſionis, prædicationis, vel informationis. Sic ſubſtantia Angeli, *eſt ſubjectum inhæſionis*, reſpectu gratiæ, ſcientiæ, quæ Angeli ſubſtantiæ inhærent; *eſt ſubjectum prædicationis*: nam plura prædicata de ſubſtantia Angeli prædicantur, ſive illa prædicata ſint ſuſtantialia, ſive accidentalia; ùt Angelus eſt Spiritus, eſt immortalis, eſt ſanctus &c. corpus autem, materia hominis, *eſt etiam ſubjectum informationis*, reſpectu animæ rationalis, cum qua humanam componit naturam.

Quomodo dividitur Subſtantia in communi?

71. Dividitur in traſcendentalem & Prædicamentalem; prædicamentalis in *1mam* ſeu ſingularem, & *2dam* ſeu univerſalem. *Subſtantia Transcendentalis eſt*, quæ eſt communis omnibus ſubſtantijs tam creatis, quàm increatæ, tam completis, quàm incompletis, materialibus & immaterialibus. Cujus conſideratio, non eſt hujus loci. *Subſtantia Prædicamentalis eſt*, quæ ab illis abſtrahit, eſtq; ſola ſubſtantia creata & completa ſive corporea, ſive incorporea, conſtituitq; hoc primum Prædicamentum, & eſt Genus ſupremum, reſpectu inferiorum Subſtantiarum.

72. Subſtantia prima ſeu ſingularis, qualis eſt Petrus, hic homo &c. *Subſtantia ſecunda ſeu univerſalis*, ùt homo, animal &c. Utraq; in hoc convenit, quòd excludit ſubjectum inhæſionis: quia nulli Subſtan-

tiæ convenit, inhærere ſubjecto: in hoc autem differunt: quia *prima* habet quidem ſubjectum-prædicationis; quia dicitur de ſubjecto, ſeu prædicatur de ſe ipſa; ſed non per modum ſuperioris prædicati; *jam autem ſecunda*, habet ſubjectum prædicationis, quia etiam prædicatur de ſubjecto, verùm, tanquam ſuperius prædicatum de inferioribus. Ut patet in his prædicationibus. *Petrus eſt Petrus*: *Petrus eſt homo.* Ubi in prima propoſitione; non comparatur Petrus ad ſe tanquam ſuperius prædicatum, ſicut in ſecunda Propoſitione, homo comparatur ad Petrum, tanquam prædicatum ſuperius, ad ſuum inferius.

CATEGORIA SUBSTANTIÆ

SUBSTANTIA.

Corporea		Incorporea
	CORPUS	
Animatum		Inanimatum
	VIVENS	
Senſitivum		Non ſenſitivum
	ANIMAL	
Rationale		Irrationale
	HOMO	

Adam, Eva, Caim, Abel.

§. 2dus.

De Prædicamento Quantitatis.

Quomodo hic ſumitur nomen Quantitatis?

73. Nomen

73. Nomen Quantitatis ſumitur à nobis, *non pro quantitate virtutis*, quæ ſignificat aliquem perfectionis gradum, ùt cùm dicimus: CASIMIRUS REX Poloniæ Magnus, propter magnitudinem geſtorum: ſed accipimus nomen Quantitatis; *pro quantitate molis*, per quam res extenduntur in partes, ùt quantitas ſtatuæ. *Et ſic ſumpta definitur: Eſt accidens extenſivum Subſtantiæ, ſecundùm quod Subſtantia dicitur quanta.* Hinc Subſtantia realiter diſtinguitur à quantitate, quia Subſtantia eſt ſubjectum *quod* accidentium; Quantitas verò ſubjectum *quô*: nam mediante quantitate, tanquam ſubſiſtentiæ corporeæ accidente, primò omnia accidentia materialia in ſubſtantia recipiuntur. Hæc doctrina principiis fidei Catholicæ eſt conformis: credimus enim in Euchariſtiæ Sacramento poſt conſecrationem perire ſubſtantiam panîs & vini, & tamen videmus ibidem manere quantitatem ſpecierum panîs & vini, in qua, tanquam in ſubjecto *quô* reliqua accidentia, ùt ſapor, color, odor & his ſimilia recipiuntur, ipſâ autem Quantitas ab omni prorſus ſeparata ſubjecto exiſtit.

Quotuplex eſt Quantitas?

74. Dividitur Quantitas in Continuam & diſcretam. *Quantitas Continua eſt*, cujus partes ſenſibiliter non diſtinguuntur, ſed communi vinculô copulantur. Hoc autem commune vinculum uniens partes in quantitate continua, vo-

catur

catur ille nexus, qui est finis unius partis, & simul principium alterius partis, quali modò punctum in medio lineæ, jungit inter se duas medietates lineæ, qua de causa vocatur *indivisibile copulans*. Hæc continua Quantitas alia dicitur *permanens*, quæ habet omnes partes simul existentes. *Alia successiva*, cujus partes simul non existunt, sed una alteri succedit secundùm prius & posterius. *Quantitas discreta est*, cujus partes sensibiliter non uniuntur, seu nullo communi Vinculo copulantur: ùt est numerus, qui constat ex multis unitatibus veluti suis partibûs inter se distinctis.

Quæ sunt species Quantitatis continuæ?

Quantitas continua dividitur in *Lineam*, quæ est quantitas solam habens longitudinem: in *Superficiem*, quæ est quantitas constans longitudine & latititudine: & *corpus* (intellige Mathematicum: nam corpus physicum compositum ex materia & forma pertinet ad Prædicamentum Substantiæ) quod est quantitas habens longitudinem, latitudinem & profunditatem.

75. Quantitatis coutinuæ permanentis, alij volunt esse speciem, *Locum*: verùm, cùm non habeat novam ac specialem rationem extensionis supra Superficiem, sed solùm ambientis superficiei ac continentis rem locatam; ideo locum pertinere ad superficiem, neq; novam constituere speciem quantitatis, permanentis.

76. *Motus*

76. *Motus quoq; & Tempus*, quæ, multi esse species quantitatis continuæ successivæ asserunt; ad eam solùm reductivè pertinent, nam similiter non habent novum modum extensionis communi vinculô copulatæ. Ac præterea sunt valde entia incompleta: motus enim est esentialiter tendentia ad terminum tanquam in fieri, quod est quid incompletum: tempus quoq; cùm sit duratio motûs, non est quid completius ipso motu.

Quæ sunt Species Quantitatis Discretæ?

77. Duæ: Numerus & Oratio. *Aristoteles tamen 5. Metaph: & D. Thomas ibidem lec: 1.* recensentes proprias quantitatis species; orationis nullam faciunt mentionem. Cùm enim in oratione, sola illa duratio, quâ breviori, vel tardiori tempore profertur vox, potest habere rationem quantitatis, nihil aliud est, quàm tempus vocis. Cùm autem tempus, non est vera quantitatis species, neq; hæc discreta duratio, quæ in oratione reperitur, ponenda erit pro specie quantitatis discretæ: pertinet tamen ad quantitatem reductivè.

78. *Numerus* (*qui est collectio unitatum*) non sumitur hìc *pro numero numerato*, qui sunt ipsæ res multæ, quæ subjiciuntur numerationi; *neq; pro numero transcendentali*, qui extenditur ad omnes res quomodocunq; numerabiles, sive materiales, sive spirituales, sive morales, sive phy-

sicas

ficat, ſicut dicimus: novem Chori Angelorum, tres Perſonæ Divinæ, tres virtutes Theologicæ, ſeptem vitia capitalia *&c.* ſed ſumitur & *pro numero numerante*, qui eſt ipſa forma & ratio numerandi, prout eſt abſtractus à rebus, ùt ſunt tria, ſeptem, novem *&c.* & *pro numero Prædicamentali*, qui ſolùm extenditur ad res materiali quantitate præditas, qualiter ſumptus numerus conſtituit ſpeciem quantitatis: nam ſpecialiter extendit partes ejuſdem, nimirum in partes diſcretas, neq; ſecum communi terminò conjunctas: quæ extenſio multitudinis, longè alia eſt ab extenſione molis.

§. 3tius.

DE QUALITATE.

Quid eſt qualitas?

79. Qualitas, prout hìc ſumitur pro certo accidentis genere hoc Prædicamentum conſtituente, *eſt accidens ſubſtantiæ qualificativum, per quod reſpondetur, ad iſtam interrogationem qualis? vg.* qualis homo? ſcientificus, albus. Ideoq; per cætera Prædicamenta ad talem interrogationem non rectè reſpondetur; niſi ſumatur qualitas non ita rigorosè, ſed in latiori ſignificatione, ſicut quodlibet accidens in quale accidentaliter prædicari docetur: ſic tamen hoc loci non ſumitur qualitas.

Quot ſunt Species Qualitatis?

80. Qualitas ſic ſumpta dividitur in quatuor

ſpecies

ſpecies bimembres, ſed membra iſta non diffe-
runt, niſi penes perfectionem majorem, vel m-
norem ùt patet. *1ma Species Habitus & Diſpo-
ſitio*: quæ eſt Qualitas bene aut malè afficiens
Subſtantiam ac diſponens: ùt cùm quæritur,
quomodo ſe Petrus *vg.* habeat, ille autem vel
alius reſpondet bene, aut malè ſe habet, vel be-
ne, vel malè diſpoſitus eſt. Sic Petrus qui in vir-
tute liberalitatis, aut in diſputando ſecundùm re-
gulas Logicas magnos fecit progreſſus per fre-
quentiam actuum, dicitur habere habitum li-
beralitatis, ac habitum diſputandi ſecundùm
regulas logicas; Paulus autem, qui ſolùm
quædam initia liberalitatis, aut diſputandi ag-
greſſus eſt, dicitur habere diſpoſitionem ad li-
beralitatem, & ad diſputandum, per quæ di-
citur ſe bene habere, vel bene diſpoſitus eſſe.
Pariter ſi Petrus, pares fecit progreſſus in vitio
avaritiæ, aut artis magicæ, dicitur habere ha-
bitum avaritiæ, aut artis magicæ; quodſi ſolùm
initia horum poſuit, dicitur habere diſpoſitio-
nem ad avaritiam & magiam. Et per hæc di-
citur ſe malè habere, aut malè diſpoſitus eſſe.
Vocatur ab alijs hæc ſpecies, qualitas inſenſibilis, quia
ſenſibûs non percipitur, ſicut percipitur tertia &
quarta ſpecies. Eſt quoq; hæc qualitas adven-
titia ſubjecto; non enim fluit à natura, ſed, vel
labore comparatur, ſi ſit habitus naturalis, vel à
DEO infunditur ſi ſit habitus Supernaturalis.
Diſpoſitio ab habitu hôc tantùm differt, quòd illa facilè
à ſubje-

à ſubjecto amovibilis, ſicut ſcientia inchota, iſte autem difficiliter, ſicut ſcientia conſummata.

2da. Species Potentia & impotentia, quæ eſt qualitas data à natura, ad agendum, vel ad reſiſtendum, vel ad patiendum; ùt intellectus ad cognoſcendum, durities in lapide ad reſiſtendum, mollities in cera ad recipiendum. *Differt hæc ſpecies ab habitu, qui non fluit* à natura, ſicut potentia vel impotentia. Potentia itaq́ eſt vis operandi fortior, ùt in juvene facultas videndi vegetior; impotentia autem eſt eadem vis debilior, ùt facultas videndi in ſene imbecillior: ideoq́; impotentia non ſignificat negationem potentiæ, ſed ſolùm illius debilitatem.

3tia. Paſſio & patibilis Qualitas, eſtq; illa, quæ aliquo unico ſenſu externo percipitur, ut calor, color, odor *&c.* Si citò tranſit hujusmodi qualitas, *vocatur Paſſio*, ſicut rubor ex verecundia proveniens: ſi diu durat in ſubjecto, dicitur *patibilis Qualitas*, ùt rubor in vultu ex ſanguinea complexione proveniens.

4ta. Species, Forma & Figura, quæ eſt qualitas reſultans ex terminatione partium quantitatis. Proinde forma dicit ſuperficiem certis lineîs & angulîs, vel circulô terminatam in corpore aliquo naturali, *vg.* rotunditas in cælo; figura autem exprimit ſuperficiem ex terminatione partium quantitatis provenientem in rebus artificialibus, ùt in domo, in turri, in globo mathematico; & ideò Schemata communiter vocantur figuræ. §.

§ 4tus.

DE RELATIONE.

81. NOmine Relationis communissimè acceptæ; intelligitur ordo & respectus, quo aliquid ad aliud quomodocunq; refertur. Cujus respectus quoniam variæ sunt species, ideo priùs adducuntur Relationis divisiones, ùt singula membra faciliùs definiantur.

Quotuplex est Relatio?

82. Dividitur Relatio in realem & rationis, *Relatio realis, est respectus inter extrema realia*, qualis respectus est inter Dominum & Servum, quem non intellectus format, sed realiter inter eos inuenitur. *Relatio rationis est respectus, quem intellectus concipit inter extrema, quorum utrumq; est rationis, vel saltem unum eorum, vel deniq; inter extrema realia, quorum unum, vel utrumq; non habet aptitudinem, ut referatur ad aliud*, intellectus tamen respectum illum efformat. Tales sunt relationes rationis, generis ad Speciem, speciei ad individua, Creatoris ad creaturam.

83. 2dò. Relatio realis alia est Transcendentalis, alia Prædicamentalis. *Transcendentalis seu secundùm dici*, quæ uni alicui non alligatur generi, sed per omnia Prædicamenta vagatur *estq; in se ens absolutum connotans essentialiter aliquid extrinsecum, in ordine ad quod exigit definiri & exprimi.* Sic materia in genere Substantiæ refertur ad formam

mam, per illamq; definitur, ſcientia in genere qualitatis ad ſcibile, agens ad paſſum &c.

84. *Relatio Prædicamentalis* ſeu categorica, quæ hoc ſpeciale Prædicamentum conſtituit, & de qua in præſenti agitur, *eſt accidens reale conſiſtens eſſentialiter in reſpectu ad aliud.* ut relatio Filii ad Patrem. Proinde hoc accidens relativum, non eſt quid abſolutum, ſicut in relatione tranſcendentali, ſed tota eſſentia illius, eſt purus reſpectus ad aliud. Hic tamen reſpectus in relatione tranſcendentali eſſentialiter connotatur, inquantum eſt alterius; prout penna in ſe quid abſolutum, eſt intrinſecè pennati penna, accidens in ſe quid abſolutum, eſt ſubjecti accidens; quod eſſentialiter reſpicit, tanquam ſuum receptivum.

85. 3tò. *Relatio Prædicamentalis*, alia eſt *mutua*, cui ex parte termini correſpondet alia relatio realis; qualis eſt inter Dominum & ſervum; nam relationi Domini correſpondet alia relatio Servi ad Dominum. Alia *non mutua*, cui ex parte termini non correſpondet nova relatio: talis relatio eſt creaturæ ad Creatorem: nam Creator non correfertur ad creaturam, quia non eſt capax illius accidentis.

Quæ concurrunt ad Relationem Prædicamentalem?

86. Omiſſis aliis diviſionibûs minùs principalibûs, quæ aliunde ſuppleri facilè poſſunt: in Relatione Prædicamentali hæc quatuor ne-

neceſſa-

cessariò concurrunt: *imò*. subjectum Relationis, in quo relatio recipitur, ùt dominium in Adamo. *2dò* terminus, qui terminat relationem subjecti, ùt servus terminat relationem dominii Adami, & ipse Adamus terminat relationem servitutis. *3tiò*. fundamentum remotum, estq; radix & causa remota relationis, quâ positâ nondum præcisè ponitur relatio; ùt potentia dominativa in Adamo, propter quam illi convenit relatio dominii, sed hac solâ positâ, nondum ejusmodi relatio ponitur. *4tò*. fundamentum proximum; estq; ipsa ratio & causa proxima; quâ positâ statim resultat relatio: sic in Adamo eadem potentiâ dominativâ positâ, prout determinatâ per actionem dominandi, statim ponitur relatio dominii: hæc enim est proxima causa, quare Adamo conveniat esse Dominum.

§. 5tus
De Actione & Passione.
Quid & quotuplex est Actio?

87. *Est accidens, quod ita afficit subjectum, ut secundùm illud agere dicatur in aliud*. Proinde actio est motus prout ab agente. Talis actio est *vg*. intellectio, visio, calefactio *&c*. Et hæc est duplex: *immanens* quæ intra ipsum agens remanet, nihilq; producit extra illud, ùt cognitio, volitio *&c*. *Et transiens*, quæ egreditur ab agente, ac extra illud aliquid producit; ùt calefactio egressa ab igne, producit in fornace calorem. *Quid*

Quid & quotuplex est Passio?

88. *Passio*, est accidens, quod ita afficit subiectum, ut dicatur pati ab alio. Sic recipere formam, vel effectum cum physica transmutatione subjecti, est passio. Et hæc duplex est: *1ma. immanens*, estq; effectus actionis immanentis, ùt intelligere. *2da transiens*, *quæ est* effectus actionis transeuntis, ùt calefieri, secari *&c.*

§. 6tus.

De Ubi & Quando.

Quomodo hic sumuntur ista duo Prædicamenta?

89. Ubi & Quando, *non sumuntur hìc interrogativè*; veluti cùm quærimus: Ubi est Pater tuus? vel, quando discipulus inchoavit studium suum? neq; *accipiuntur indefinitè* sinè ulla determinatione, sicut ibi: quando venit plenitudo temporis misit Dominus Filium suum. *Item ubi* pax est, ibi Christus habitat. Sed accipiuntur, prout sunt quædam nomina secundùm significationem, nempe: *ubi*, *pro esse in loco: Ubi* enim Prædicamentale, non est ipse locus præcisè, *sed est ipsa continentia passiva corporis à locò*, *qui activè continet*, *atq; circùmscribit locatum: quando autem*, pro esse in tempore, *vg.* esse hoc sæculo, esse præcedenti annô. Proinde *quando*, non est præcisè tempus, *sed veluti continentia passiva à tempore*; sicut continentia passiva à loco rei locatæ dicitur ubi.

Quid

Quid est Ubi Prædicamentale?

90. *Est accidens in corpore locato à circumscriptione loci proveniens.* Ex qua definitione colligitur, solum *Ubi* circumscriptivum constituere hoc Prædicamentum; non antem *Ubi* definitivum, per quod res est tota in toto, & tota, in qualibet parte loci, qualiter res spirituales dicuntur esse in loco, ùt Angelus in templo, anima rationalis in corpore; Corpus Christi sub speciebus Eucharisticis.

Quid est Quando Prædicamentale?

91. *Est accidens, quod advenit rei ex eo, quòd sit in tempore.* Itaq; *Quando*, non est tempus, præcisè; sed duratio rei, illiusq; permanentia in tempore, prout res temporalis dicit habitudinem ad tempus ipsam mensurans: quemadmodum album esse, non dicit præcisè albedinem, sed habere albedinem inhærentem.

§. 7*mus.*

De Situ & Habitu.

Quid est Situs?

92. *Situs est accidens, quod exprimit positionem partium corporis ordine quodam in loco.* Non sumitur tamen hìc positio partium corporis, quâ partes inter se ordinantur, *vg.* quòd in homine, caput sit supra brachia, hæc supra pectus *&c.* Hoc enim pertinet ad quantitatem; sed sumitur positio partium corporis intra locum, ùt stare,

 sedere:

ſedere: hæc enim partium ordinatio conſtituit Prædicamentum Sitûs.

Quid hìc nomine habitûs ſignificatur?

93. Habitus aliam longè hìc habet ſignificationem, quàm in Prædicamento Qualitatis, aliam quoq; quàm habere ſeu poſſidere: ùt habere ſervum, ſed ſignificare amictum actualem, non ſolàm aptitudinem corporis animalis, ut veſtiatur, ſibiq; veſtimenta adaptet. Sicq; ſumptus *Habitus, eſt accidens ex adjacentia cujuscunq; indumenti ſive ornamenti ad corpus animalis, reſultans.* Nam ex adjacentia veſtium, aut ornamenti ad corpus, provenit eſſe veſtitum, eſſe ornatum &c. ùt eſſe coronatum, eſſe loricatum &c. quæ ſunt accidentia reſultantia in corpore animalis ex ornamento, ex indumento, per quæ accidentia corpori advenientia, corpus aliter ſe habet, quàm antea, ſine indumento aut ornamento tali.

PRÆAMBULUM VII.

De Poſt-Prædicamentis.

94. SIcut Doctrinam Prædicamentorum præceſſit quædam ante-Prædicamentalis doctrina, per quam præparabatur animus ad cognitionem Categoriarum; ita eam, Poſt-Prædicamenta, quod vocabulum à modernis Philoſophis, convenienter tamen inventum eſt, conſequuntur, idq; ad pleniſsimam notitiam quorundam obſcuriorum terminorum, quibûs uſus erat Ariſtoteles in Categoriis, plurimùm neceſſa-

necessaria, quos obscuriores terminos ipse Aristoteles finitis Prædicamentîs explicat; numerantur autem post-Prædicamenta quinq; Oppositio, Prioritas, Simultas, Motus & modus habendi.

§. 1mus.

DE OPPOSITIONE.

Quid nomine Oppositionis hoc loci intelligendum venit?

95. IN præsenti, non agitur de oppositione Propositionum; (de hac enim infra) sed de oppositione rerum; inter quas autem res reperitur oppositio, debent esse distinctæ quia sibi ipsi nihil opponitur, & deben habere aliquid repugnans, ratione cujus eidem subjecto convenire nequeant. Proindè *Opposita dicuntur duo extrema inter se pugnantia, quæ de eadem re singulari, simul prædicari non possunt respectu ejusdem:* qualia sunt calidum & frigidum, Pater & Filius, videre & cæcum esse, stare & ambulare. Ista enim opposita nunquam uni rei singulari, simul & eodem respectu possunt convenire, ùt consideranti patet.

Quomodo differunt Opposita & disparata?

96. Sic: nam *opposita* ita inter se pugnant, ut cum aliis diversæ naturæ non pugnent. Sic calor & frigus inter se pugnant, sed cum aliis diversæ naturæ vg. cum humido, cum sicco, cum lapide, cum ligno, aut bove.

non pugnant. *Disparata* autem, eo modo inter se invicem pugnant, ficut pugnant cum aliis diversæ naturæ: ut equus & leo, quali modo inter se pugnant, tali cum homine, cum simia: similiter lignum & lapis, qualiter inter se mutuò pugnant, taliter cum igne, aqua, cum auro vel argento. *Hinc disparata* debent esse res, diversarum naturarum, per quas ita abinvicem separantur, ut impossibile sit easdem in eādem re singulari simul conjungi.

Quot sunt species Oppositorum?

97. Quatuor, seu Opositio est quadruplex, ùt alii loquuntur. *relativa, contraria, privativa & contradictoria.*

Relativa oppositio reperitur inter illa extrema, quæ ad se referuntur. Oritur ergo ex relatione; quia duo relativa non posunt verificari de eodem, respectu ejusdem: ùt Pater & Filius non verificanrur de eodem: possunt tamen verificari comparativè ad diversos terminos: nam qui est Filius Adæ, sicut fuit Cain, potest esse Pater respectu Henoch, quem genuit.

98. *Oppositio Contraria est inter extrema positiva, quæ se ab eodem subjecto mutuò expellunt, & in eodem genere, in quo ponuntur, maximè distant.* Taliter opponuntur calor & frigus, virtus & vitium in genere qualitatis. Defectu maximæ distantiæ, mediæ qualitates non dicuntur contrariæ *vg.* calidum & tepidum, quia non distant maximè

in

in eodem genere qualitatis, cùm de utroq; extremo participent.

99. *Oppoſitio privativa*, eſt inter illa extrema, quorum unum dicit formam poſitivam, alterùm dicit carentiam illius cum ſola aptitudine ad illam: qualis oppoſitio invenitur inter cæcitatem & viſum in homine. Idq; ad differentiam negationis, quæ eſt abſentia formæ in ſubjecto inepto ad eam habendam, ſicut eſt abſentia visûs in lapide. A tali autem *privatione non datur ad habitum regreſſus*. Sicut Ariſtoteles exponens hoc genus oppoſitionis, docet: nam in contrariis poteſt fieri regreſſus ad aliud contrarium: conſtat enim experientiâ, ex calido fieri frigidum, & ex frigido calidum, nunquam autem ex cæco fit videns intellige naturaliter: nam de modo agendi ſupernaturali, ad Philoſophum diſputatio non pertinet.

100. *Oppoſitio Contradictoria* datur inter affirmationem & negationem ejuſdem de eodem, & eodem modo *vg.* eſt lapis, non eſt lapis. Inter talia ergo contradictoria non datur medium.

Quodſi loquamur de Propoſitionibus contradictoriis, intellige inter illas non dari medium veritatis & falſitatis: ſi verò de terminis; tunc intellige medium prædicationis ſive verificationis. Sic inter iſtas Propoſitiones: Petrus diſputat, Petrus non diſputat, non eſt medium veritatis, aut falſitatis; quia neceſſarium eſt alteram harum Propoſitionum eſſe veram, alte-

ram falsam, neq; utraq; simul vera, aut simul falsa esse potest. Similiter inter hanc terminorum affirmationem & negationem, est lapis, non est lapis, non datur medium Prædicationis aut verificationis: nihil enim potest assignari, quin alterum eorum, verè de eo prædicetur, omne enim aut est lapis, aut non lapis.

Qu. differunt Contradictoria à cæteris oppositis?

Hôc, quòd in illis facilè est reperibile aliquod medium prædicationis: id est tale aliquid, de quo neutrum oppositorum verè prædicari poterit: sic inter album & nigrum datur rubeum, Angelus, Deus &c. quæ neq; alba, neq; nigra dicuntur. Similiter inter Patrem & Filium datur medium Prædicationis: plura enim sunt in mundo, quæ neq; Pater, neq; Filius dici possunt, ùt sol, lapis &c. Sic etiam inter cæcum & videns, quæ sunt privativè opposita, datur adamas qui neq; videt, neq; cæcus est. In Contradictorijs autem modo immediatè, explicato non datur.

§. 2dus.

De Modis Prioris.

Quot modis unum ab altero dicitur prius?

101. DOcet Aristoteles quinq; modis unum alterô posse esse prius: *imò tempore*, cum nempe aliquid antiquius est altero, illudq;

reali

reali duratione, aut ſaltem inſtanti reali antecedit: ùt Adam, eſt prior conſorte ſua Evâ, quia priùs creatus, Eſau Jacobo tanquam primogenitus. *2dò. Subſiſtendi conſequentiâ*, & ita illud prius dicitur, à quo non bene aliud infertur, quamvis ab hoc *2dò* poſteriore, ad prius illata conſequentia in ſua veritate ſubſiſtit. Sicq; omne Prædicatum ſuperius, eſt inferiore prius, quia à Prædicato ſuperiore non ſubſiſtit in ſua veritate conſequentia, licetſi ab inferiore, quod eſt poſterius ad ſuum ſuperius Prædicatum, bene ſubſiſtat. Itaq; non valet: eſt animal. ergo eſt homo: valet autem è contra: eſt homo. ergo eſt animal. *3tiò ordine*, quando unum præcedit aliud, ut principium finem: ſic exordium præcedit Epilogum, in Syllogiſmo Præmiſſæ, præcedunt concluſionem. *4tò dignitate*, quando unum aliud honore antecellit, ùt Rex ſubdito, Pater Filio. *5tò. prius aliquid dicitur naturâ ſeu cauſalitate*, qualiter quælibet cauſa, eſt prior reſpectu ſui effectûs, propter dependentiam illius à ſua cauſa, à qua promanat: ſic ſol prior eſt luce, ignis calore, & quælibet eſſentia reſpectu ſuarum proprietatum. His addunt Theologi *prioritatem originis* inter Perſonas Divinas, quarum una ab altera procedit. *Et prioritatem rationis*, per quam unum ſine alio priùs per intellectum concipitur, ideoq; eſt ipſa diſtinctio rationis.

102. Sicut quinq; ſunt modi prioris; ita quinq; modi

modi posterioris: nam tot modis dicitur unum oppositorum, quot & aliud: ideoq; unum alio dicimus esse posterius, vel tempore; vel subsistendi consequentiâ; à quo nempe vallet illata consequentia ad Prædicatum prius, ùt dictum immediatè; vel ordine; vel dignitate; vel naturâ.

§. 3tius.

De Modis Simultatis.

Quot modîs aliqua dicuntur simul?

103. ARistoteles tres tantúm modos simultatis recenset, posset tamen tot modîs aliquid dici simul, quot modîs dicitur prius. *1mò. simul tempore* dum nempe aliqua uno tempore producta sunt, *vg.* omnes Stellæ in cælo Stellato, cum quo simul creatæ sunt. *2dò. naturâ*, quando aliqua se mutuò ponunt, aut tollunt, quamvis neutrum sit alterius causa: ùt sunt relativa *vg.* Dominus & servus, quorum sublato uno, tollitur aliud, posito uno, ponitur & aliud. *3tiò divisione* simul dicuntur, qualia sunt membra dividentia totum, ùt sunt species, quæ immediatè sub eode genere continentur, genus suum æqualiter dividentes, ùt homo & brutum, hoc modô sunt simul, quia immediatè sub animali continentur, illudq; ex æquo dividunt: similiter leo, bos, equus *&c.* sunt simul, quia sub eodem genere bruti immediatè continentur, illudq; dividunt. Genera

autem

autem non possunt esse simul cum suis speciebûs; in quas dividuntur, sed sunt priora illis.

§. 4*tus.*

DE MOTU.

Quid est Motus & quas Species habet?

104. MOtûs, *qui est transitus de uno statu seu termino, ad alium,* sex species enumerat Aristoteles, quæ sunt: *generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio & loci mutatio.* Generatio & corruptio propriè si sumantur, pertinent ad substantiam, augmentatio & diminutio ad quantitatem, alteratio ad qualitatem, loci mutatio ad ubi.

Generatio, est transitus à non esse ad esse substantiæ: sic mundus à suo non esse, per creationem transiit ad esse mundi.

Corruptio, est transitus ab esse substantiæ, ad non esse substantiæ *vg.* esse ligni ad non esse ligni.

Augmentatio, est progressio à minori ad majorem quantitatem, sic progreditur puer cubitalis, ad virum tricubitalem.

Diminutio, est progressio à majori ad minorem quantitatem, sic vinum in dolio diminuitur per effusionem.

Alteratio, est motus de una in aliam qualitatem, ùt aqua transiens à caliditate ad frigiditatem, homo à sanitate ad infirmitatem.

Loci mutatio, est motus de uno in alium locum, ùt solis ab oriente in occidentem.

§. 5*tus*

§. 5tus.
De Modis habendi.

Quot modîs aliquid habetur?

105. Explicat Ariſtoteles modos habendi, octo illos recenſens. *1mò.* dicitur aliquis habere qualitatem *vg.* habitum ſcientiæ, aut virtutis. *2dò.* habere quantitatem *vg.* longitudinem trium cubitorum. *3tiò.* habere ea, quæ ſunt circa corpus, veſtiendo vel ornando, *vg* gladium, annulum, Togam. *4tò.* habere aliquid in parte corporis, ùt annulum in digito, infulam in capite. *5tò.* habere partem *vg.* manum, digitum. *6tò.* habere inſtar continentis, ſic habet modius triticum, dolium vinum. *7mò.* habere per dominium, ùt habere villam, palatium, lapideam. *8vò.* habere correllativum, ùt habet amicus Amicum, Pater Filium, *&c.* *ab aliis additur* modus habendi *per juxta poſitionem*; ùt Polonia habet à Septentrione Moſchoviam, ab occidente Pruſſiam. Finita hac generali ad ſcientias præparatione, nunc jam ad alia animum admoveamus. Sit itaq;.

(o)

PARS

PARS I.
Logicæ Incipientium.
De vocibus seu Terminis.
TITULUS 1mus.
De voce, Nomine, verbo & Signo.

1. QUoniam qualibet oratio Dialectica, *quæ est quidam brevis sermo ex duabus vel pluribus vocibus compositus*, constat vocibus, nomine, verbô: voces verò vocantur termini; termini autem signa rerum; ideo notitiam horum præmittendam esse ante ipsum terminum, in animum induxi. Sit itaq;

Punctum 1mum.
De Voce.
Quid est Vox?

2. V*Ox est sonus ore animalis prolatus per organa naturalia cum intentione aliquid significandi.* Si igitur sono alicui, deest aliqua harum conditionum in definitione expressarum, non meretur habere nomen vocis, sed duntaxat soni; sic tussis, plausus manuum, sonus per artificialia instrumenta elicitus, aut quomodocunq; procuratus non debet vocari vox. Hæc particula in definitione vocis posita *cum intentione significandi prolata*, restringit eam, ad solam vocem

cem humanam: solus enim homo, modô humano agens, aut proferens aliquid, propriè ex intentione loquitur.

Punctum 2dum.

De Nomine & Verbo.

Quid est Nomen?

3. VOx (intellige humana) ex qua sermo componitur, est duplex: nomen & verbum. *Nomen est vox ex instituto hominum significativa sine tempore, cujus nulla pars significat separata, finita & recta.* Dicitur *vox ex instituto hominum significativa*, quia non ex naturali dispositione id habet, ut significet aliquid, sicut risus naturaliter significat cordis lætitiam, gemitus dolorem internum ac tristitiam: sed ex arbitrio hominum tale nomen imponentium ad significandum hoc & non aliud, ùt vox homo, apud latinos significat substantiam rationalem corpoream, quia eam latini ad id significandum liberè imposuerunt, apud Hebræos tamen aut Polonos nihil significat. Dicitur *significativa sine tempore*: id est: quod vox quæ dicitur nomen, non exprimit aliquam temporis differentiam, neq; præsens, neq; præteritum, neq; futurum. Et per hoc differt à verbo, ùt dicetur: Dicitur *cujus pars nulla significat separata*: nam, si separaretur syllaba à voce nominis, non significat id, quod significabat compo-

composita. Sic nominis *homo* pars *ho* separata, & altera *mo*, non significat hominem. Nominis autem *Dominus*, quamvis pars *do* significat aliquid, *minus* similiter significat; sed longè aliud, non hoc, quod conjunctæ significabant. Dicitur *non significat finita & recta:* nam *ly finita* excludit nomina infinita, illa nempe quibus additur negatio, ùt non Angelus, non homo: nam hæc non significant determinatè aliquam naturam: non homo enim, vel non Angelus, nec est equus, nec lignum, nec piscis, nec cælum, neq; aliquid eorum, quæ subsistunt in natura. *ly recta* excludit casus nominum obliquos, qui propriè non dicuntur nomina, sed nominum inflexiones: ideoq; soli casus Nominativi possunt esse subjectum, aut Prædicatum Propositionis.

Quid est Verbum?

4. *Verbum est vox significans ex placito hominum cum tempore, cujus pars separata non significat finita & recta. ly significans cum tempore*, denotat aliquid, quo tempore fiat, illudq; significat, sicq; differt à nomine: *ly non significat finita*, excludit verba infinita, quibus nempe negatio additur: út non ago, non otior, quia talia sicut & nomen nihil determinatè significant. *ly recta* excludit illas verbi inflexiones, quæ non sunt modi Indicativi, nam reliqui modi sunt veluti obliqui cásus verborum: quia solus Indicativus

signi-

significat agere vel pati, verbum autem debet significare actionem vel passionem. *Dicitur deniq; cujus pars separata non significat*, ad differentiam orationis *vg.* equus currit; quia partes orationis separatæ *vg* equus separatim à voce currit, & currit separatim à voce equus, significant idem, quod conjunctæ significabant.

Quomodo hæc tria explicantur: significare tempus, connotare tempus, significare cum tempore?

5. Sic: *significant tempus* illæ voces, quæ non trahunt tempus ad suam significationem, sed tempus habent pro suo significato, ùt dies, hora, mensis, annus *&c.* *Connotant tempus* illæ voces, quæ pro principali significato habent rem, cui conjungitur certum tempus, non denotatur tamen, an res fiat nunc, an facta sit ante, an facienda sit pòst. ùt prandium, cæna. Deniq; illæ voces *significant cum tempore*, quæ præter suum principale significatum, denotant aliquam temporis differentiam, vg. disputo, principaliter denotat disputationem, & præterea designat tempus præsens disputandi.

PUNCTUM III.
DE SIGNO.
Quid est Signum?

6. *Est id, quòd potentiæ cognoscitivæ aliud à se repræsentat.* Sic fumus à se aliud cogno-

scenti

ſcenti repræſentat, nempe ignem latentem, hædera vinum vendibile. Iſta autem repreſentatio facta per ſignum repræſentans, vel fit *per modum ſimilitudinis formalis* interiùs impreſsæ: ùt cùm video amicum, ſimilitudo ejus in oculo impreſſa, & inde ad imaginationem ac mentem transfusa, illum mihi repræſentat. Et hæc ſimilitudo vocatur ſpecies intentionalis, de qua tractant libri de anima in Phyſica. vel *fit iſta repræſentatio per modum cujuſdam indicationis*, inquantum unum priùs cognitum, aliud nobis indicat, & facit nos in cognitionem illius venire, idq; *vel naturaliter* hoc efficit, ſicut ſubitus in vultu pallor indicat animi conſternationem, gemitus dolorem. Vel *ex libero hominum placito*, ùt hædera vinum vendibile, voces & ſcripturæ res ipſas, pro quibus ponuntur, denotant.

7. Dantur præterea inter voces *ſigna*, quæ ex ſe nihil ſignificant, ſed tantùm dicuntur aliqualiter ſignificare, hoc eſt vel univerſaliter, vel particulariter, qualia ſunt omnis, nullus, quidam, quidam non: nam hæc ſigna ex ſe neq; Angelum, neq; hominem, nec aliud quidpiam ſignificant: additum tamen aliquod eorùm termino ſignificativo, cum illo ſignificant aliquid univerſaliter vel particulariter: ùt omnis Angelus, nullus homo, quidam Angelus, quidam non homo. Et ideo Propoſitiones affectæ his ſignîs: omnis, nullus, ſignificant univerſaliter, affectæ autem illis ſignîs,

quidam

quidam, quidam non, significant particulariter, una affirmativa, altera negativa.

8. Iisdem signis correspondent quoq; adverbia negativa atq; affirmativa. *Negativa*, ùt nunquam, nusquam, nequaquam, quæ addita subjecto reddunt Propositionem universalem. *vg.* nunquam hominis consilium prævalet consilio DEI, impius nequaquam obtinebit misericordiam. *Affirmativa*, ùt aliquando, alicubi, aliqualiter &c. quæ ex se non faciunt Propositionem particularem, sed indifferentem *vg.* aliquando impij luent pænas, possunt tamen fieri universales addito signô universali, vel particulares addito signô particulari, *vg.* aliquando omnes impii luent pænas, aliquando Petrus præmiabitur.

TITULUS II.
De Termino.

Quot sunt mentis operationes, quæ cadunt sub directionem Logicæ?

9. CErtum est apud omnes, Logicam institutam esse ad dirigendas operationes intellectûs, ut sine errore in exercitium prodeant. Communiter autem tres numerantur mentis operationes *1ma simplex apprehensio*, quæ est actio intellectûs cognoscens objectum nudè sine ulla affirmatione vel negatione, ùt cognitio lapidis, cognitio solis, nihil de ipsis affirmando

mando vel negando. *2da judicium*, quæ est actio intellectûs cognoscens, aliquod objectum, non nudè & præcisè sed cum affirmatione vel negatione aliquid de eo enuntiando *v.g.* cognitio lapidis, cum affirmatione, quòd sit gravis, vel cum negatione, quòd non sit vivens; cognitio solis, cum affirmatione, quòd sit lucidus, vel cum negatione, quód non sit animal. *3tia Discursus*, quæ est actio intellectûs illativa unius ex alio. Sic cognito lapide, & posita affirmatione, quòd sit gravis, discursus infert: ergo tendit deorsum, vel posita negatione de eodem cognito lapide, quòd non sit vivens, infert discursus: ergo nutritione non indiget.

10. Has ergo tres mentis operationes Logica dirigit, ut rectè fiant; *1ma* actio intellectûs dirigitur per terminos, qui exprimunt res ab intellectu aprehensas, per voces incomplexas, ùt sunt cælum, sol, homo *&c.* quæ voces vocantur Termini, & prima elementa Logica, ex quibus Propositiones, veluti ex lapidibus domus, coalescunt. *2da actio intellectûs Judicium* dirigitur per Propositiones, quæ componuntur ex terminis simplicibus, tanquam ex proxima materia sua. *3tia Discursus* dirigitur per argumentationem, de quibus singulis in præsenti successivis titulîs agetur.

PUNCTUM I.

De definitione & divisione Termini.

Quid est Terminus?

11. OMissis varijs acceptionibûs Termini, quæ sunt extra nostram considerationem; hìc sumitur terminus pro eo, quod, ùt pars ingreditur compositionem Propositionis. Et sic sumptus definitur: *est id, in quod resolvitur Propositio, tanquam in subjectum & Prædicatum.* Terminus itaq; est pars Propositionis, quæ dicitur vel subjectum, vel prædicatum. Sicut in hac Propositione Davidica: omnis homo mendax: *homo* est subjectum, quia subjicitur huic prædicationi: *mendax*: *mendax* autem est prædicatum, quia prædicatur de homine: verbum autem *est* non est pars Propositionis, sed vinculum quoddam, Prædicatū subjecto conjungens; particula verò *omnis* est signum Universalitatis. Tales igitur voces tunc solùm appellantur Termini, quando vel actu Propositionē componunt, vel quando dicunt proximā habitudinē ad eam componendā, ad quod jam sunt destinatæ.

Quomodo dividitur Terminus?

12. Termini variæ sunt divisiones, hìc omissis alijs magìs necessarias adferemus: *imò* itaq; Terminus alius est *Vocalis* qui voce, *alius scriptus*, qui scripturâ exprimitur. Et iste, vel est *significativus*, ùt cælum, ignis &c. vel *non significativus*, ùt blictri vel alia vox conficta vg. canado.

2dò. Dividitur terminus in subjectum & Prædicat u m

dicatum, de quibus in definitione termini immediatè dictum est.

13. 3tiò. Alius est terminus Primò intentionalis, alius secundò intentionalis, terminus *Primò-intentionalis* est, qui significat rem secundùm illum Statum, quem habet à parte rei, proinde independenter â cognitione mentis reflexa, ùt homo, lapis &c. &c. *Secundò-intentionalis est*, qui denotat rem secundùm illum statum, quem recipit in intellectu, ideoq; dependet à secundaria & reflexa cognitione intellectûs, ùt genus, species, subjectum, prædicatum &c. Nam à parte rei, nulla res est genus, aut Prædicatum, sed hoc illi contingit ab intellectu: qui primò considerat eam directè, ùt est à parte rei vg. animal, postea reflexè & secundariò, prout habet esse in intellectu.

14. 4tò, Terminus Primò-intentionalis dividitur in Positivum, Privativum & negativum, *Positivus* dicitur, qui significat aliquid in rerum natura positum, ùt ignis, aër, aqua, terra &c. *Privativus* est, qui non significat rem, sed rei absentiam in subjecto capaci vg. carentiam scientiæ in Petro, lucis in aëre &c. *Negativus* similiter non rem, sed rei absentiam denotat in subjecto incapaci, ùt carentiam scientiæ in equo, visionis in lapide.

15. 5tò. Dividitur Terminus in Univocum, Æquivocum & Analogũ. *Univocus* est, qui significat nomen & rationem in pluribus simpliciter eandem,

ùt homo reſpectu Petri, Pauli &c: *Æquivocus eſt*, qui denotat nomen idem in pluribus, ſed rationem ſimpliciter diverſam, ùt homo vivus & homo pictus. *Analogus eſt*, qui ſignificat nomen idem in pluribus, rationem verò diverſam ſimpliciter, aliquomodo tamen ſimilem, vel per attributionem, vel per proportionalitatem, ùt principium reſpectu Dei, cordis, & fluvij; de quo in memoriam revocetur doctrina de univocis, æquivocis & analogis.

16. *6tò*. Alius eſt terminus *ſingularis*, alius communis. *ſingularis* eſt, qui rem unicam in individuo denotat, ùt Petrus, Auguſtinus. *Communis* eſt, qui multa ſignificat, ùt animal, homo &c. Et *hic alius eſt collectivus*, qui ita multa ſignificat, ut de ſingulis in individuo dici non poſſit, ſic exercitus nomen eſt commune collectivum, quia multos milites ſignificat, ſed de ſingulis militibus in individuo non dicitur. *Alius Diſtributivus, qui* ita de multis dicitur, ut etiam de ſingulis enuntiari valeat, ùt animal de ſingulis ſpeciebus, homo de ſingulis individuis.

17. *7mò*. Terminus alius eſt *Categoricus*, qui per ſe aliquid ſignificat ut aqua terra &c. Aliûs Sycategorematicus, qui per ſe aliquid non ſignificat, ſed alteri adjunctus, ùt omnis, nullus, quidam. Et hi termini dicuntur ſigna, quemadmodum de ſigno ſuperiùs explicatum. *Alius Mixtus*, qui virtualiter continet utrumq; & ideo utrumq; ſignificat, ùt nemo, id eſt nullus homo, nihil, id eſt nullum ens; Cætera revideantur de ſigno.

18. 8vò. Alius eſt terminus *Tranſcendentalis*, qui de omni re poteſt prædicari, quales termini ſunt: ens, unum, verum, bonum. *Alius ſupertranſcendentalis*, qui de omnibus entibus & non entibus poteſt prædicari, ùt excogitabile.

19. 9nò. Tormnus dividitur in concretum & abſtractum. *Concretus* dicitur, qui denotat formam ſubjecto inexiſtentem, ùt ſcientificus, ſignificat ſcientiam, quàm habet ſubjectũ ſciens *vg.* Adam Abſtractus dicitur, qui exprimit formã ab omni ſubjecto amotam, ac veluti in ſeipſa *vg.* ſcientia conſiderata in ſe ſine ullu ſubjecto illam habente.

20. 10mo. Terminus, alius eſt *abſolutus* ſeu ſubſtantivus, qui ſignificat aliquid per modum per ſe ſtantis, ut cælum, ſol, claritas, albedo *&c.* alius *Connotativus* ſeu adjectivus, qui ſignificat aliquid per modum alteri adjacentis, ùt Philoſophus, Theologus. *Terminus itaq; abſolutus* aliquando ſignificat aliquid, verè per ſe ſtans *vg.* lapis, aliquando non per ſe ſtans, ſed ſolùm per modum per ſe ſtantis *vg.* claritas, quæ non ſignificat ùt adjacens; ſed veluti per ſe ſtans. *Terminus quoq; Connotativus*, aliquando ſignificat, vel verè adjacens accidens alicui ſubjecto, ùt album, vel etiam ad inſtar adjacentis, quamvis re ipſa non adjaceat, ſic rationale ſignificat aliquid per ſe ſtans, eſt enim ſubſtantia hominis, tamen ex modo ſignificandi, ſignificat aliquid per modum adjacentis alteri.

PUNCTUM II.

De Proprietatibus Terminorum.

Quot & quæ sunt Terminorum proprietates?

21. Sex solent numerari: suppositio, quæ est præcipua, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, Appellatio, & Reduplicatio.

Quid est Suppositio?

22. *Suppositio est positio termini pro aliquo.* Cùm enim fit discursus de leone, lapide, sole *&c.* non expedit, ut leo, lapis, sol adducantur in medium disputantium; sed pro rebus, utimur terminis seu vocibûs easdem res significantibus. Quodsi terminus aliquis non verificatur de re, de qua profertur, *tunc diceretur propositio de subjecto non supponente*: ùt si dicerem: Cain interficit Abelem, Petrus negat Christum: quia per hos terminos, non exprimitur, quòd hæc fiant in hoc tempore.

Quotuplex est Suppositio?

23. *Suppositio* variè solet dividi, has tamen adferimus divisiones, quæ maximum habent usum & celebriorem. *imò. itaq;* dividitur suppositio in materialem & formalem. *Suppositio materialis est*, quando terminus sumitur pro se ipso, non pro suo significato; hoc est pro materia termini, seu pro literis & syllabis, non pro forma, seu non pro significatione, quæ ab hominibus est posita, usurpatur. *Suppositio formalis est*, quando accipitur terminus pro re ipsa signifi-

significata: nam significatio, quæ termino ex placito hominum est imposita, dicitur forma ejusdem termini: sic cùm dico: homo est vox: & homo est animal rationale, in primo, est suppositio materialis; *quia terminus homo*, accipitur pro se ipso, in secundo, est suppositio formalis; quia hìc accipitur *terminus homo* pro suo significato.

24. *2dò.* Suppositio formalis dividitur in simplicem & absolutam. *Simplex* vocatur, quando sumitur terminus pro hoc, quod immediatè significat. *Absoluta* verò, quando sumitur terminus pro suo significato, tam immediato, quàm mediato. Sic cùm dicitur: animal est genus, homo est species, sumuntur hi termini simpliciter, nempe pro natura communi animalis, & pro natura communi humana: nam terminus *animal* immediatè significat rationem communem animalis, mediatè verò species, *homo* quoq; immediatè significat naturam humanam, mediatè, id est hac mediante natura, individua sua Petrum, Paulum *&c.* Si autem animal dicitur vivens, & homo dicitur animal, sumuntur absolutè, nempe tam pro immediato, quàm pro mediato significato: nam & natura animalis est vivens, & illius omnes species, quas mediatè significat, sunt viventes, & natura humana illiusq; individua dicuntur animal. *Hinc non valet*; album est accidens: sed Petrus est albus, ergo Petrus est accidens, quia variatur

tur suppositio: nam in majori Propositione *ly album* sumitur simpliciter pro natura albedinis, quàm immediatè significat; jam autem in minori sumitur absolutè, nempe & pro natura albedinis & pro subjecto, quod mediatè significat: accidentis enim mediatum significatum sunt inferiora ejus *vg.* hoc album, illud album.

25. *3tiò.* Dividitur suppositio in disjunctivam, distributivam & collectivam. *Disjunctiva est*, cùm accipitur terminus communis plura singillatim sub disjunctione significans: quam suppositionem manifestat syncategorema *aliquis* alicui communi termino vel expressè vel tacitè adjunctum, ùt aliquis homo est prudens, vel homo orat, in his enim exemplis homo sumitur disjunctivè, significat enim omnes homines sub disjunctione, hoc modo: vel Petrus, vel Paulus vel Adam est prudens, aut orat. *Suppositio Distributiva*, quando accipitur terminus cōmunis, pro omnibus tam simul sumptis, quàm divisim pro singulis *vg.* omnis homo est animal: nam inferri potest *vel sic*: & Petrus & Paulus est animal: vel sic: & Petrus est animal, & Paulus est animal. *Hæc distributio* aut est completa, aut incompleta. *Completa vocatur* quando descendit usq; ad individua omnia, ùt, cùm dico, omne animal est sensitivum, omnis homo est rationalis: nam distributio ista descendit usq; ad individua. *Incompleta dicitur*, quando distributio descendit solum ad species, non autem ad individua, ut

omne

omne animal fuit in arca Nöé. *Completa vocatur* à Philosophis *pro singulis generum*, incompleta verò *pro generibus singulorum*. *Suppositio Collectiva est*, quando accipitur terminus communis pro omnibus suis significatis non divisim, sed simul sumptis, ùt cùm dico: Sacramenta sunt septem, Evangelistæ sunt quatuor.

Quomodo dignoscenda sit suppositio?

26. REgula generalis & certa, ut cognoscatur suppositionis natura, hæc est: subjectum supponit pro ratione & exigentia Prædicati. Proinde ad cognoscendam suppositionem subjecti, necessarium est cognoscere exigentiam Prædicati: sic *termini numerales* exigunt snppositionem collectivam *vg.* undecem sunt cæli. *Termini necessitatis* requirunt confusam suppositionem *v.g.* navis est necessaria ad transfretandum, manus ad scribendum. *Termini naturaliter convenientes* habent suppositionem distributivam: ut gravia tendunt deorsum, alba disgregant visum. *Termini contingentes* exigunt suppositionem disjunctivam: ut homo est probus, equus est celer.

Quid est Ampliatio?

27. A*Mpliatio, est acceptio termini cum extensione ad majorem significationem*, nempe: vel pro pluribus temporibus, quàm per verbum in Propositione positum importetur, vel

cum

cùm pro pluribus ſuppoſitis terminus accipitur, quàm per copulam importantur, *vg. Vir* probus & doctus dignus eſt æſtimatione; id eſt ille, qui nunc eſt doctus & probus, & ille qui olim fuit talis, tandẽ ille quoq;, qui erit doctus & probus dignus erit æſtimatione. In quo exẽplo & verbũ ampliatur, à tempore præſenti ad præteritum, ac futurum, & ſuppoſitum hominis probi & docti, ad omne ſuppoſitum docti hominis & probi.

Quid eſt Reſtrictio?

28. R*Eſtrictio, eſt limitatio ſignificationis alicujus termini à majori ad minorem.* Tale eſt illud Trajani effatum: Princeps credulus, eſt crudelis; in quo vocem *crudelis* limitat *vox Princeps* ad aliquos tantùm Principes, *Item* omnis liber Janſenij continet hæreticas Propoſitiones: hic *ly omnis liber*, coarctatur tantùm ad librum Janſenij.

Quid eſt alienatio?

29. A*Lienatio, eſt uſurpatio termini pro eo, quod impropriè ſignificat.* Sic CHRISTUS dixit Apoſtolis: *Vos eſtis lux mundi.* Similiter in illo numiſmate, quod oſtenſum erat CHRISTO, cùm interrogaret, cujus eſt hæc imago? accepit reſponſum: Cæſaris; imago igitur Cæſaris in numiſmate accipitur impropriè

Quid eſt appellatio?

30. A*Ppellatio dicitur, quando aliqua vox ſuam ſignificationem alteri tribuit,* ſeu quando

unus

unus terminus alteri, cui adjungitur, novam denominationem tribuit, ut cùm dico: Lucas Pictor, est Evangelista: Hæc vox *Evangelista* tribuit Lucæ pictori suam significationem & novam denominationem. *Evangelista* igitur, dicitur in hac Propositione *terminus appellans*, Lucas autem Pictor, dicitur *Terminus appellatus* seu denominatus.

31. Sicut autem in quolibet concreto termino duplex est significatum, unum formale, alterum materiale: *formale* est ipsa forma per terminum significata, *materiale verò*, est ipsum subjectum habens talem formam. Itaq; appellatio aliquando hac de causa, est formalis, aliquando materialis; *tunc est materialis*, quando Prædicatum Propositionis cadit supra materiale significatum subjecti: tunc *verò est formalis*, quando Prædicatum Propositionis cadit supra formale significatum, exempli gratiâ: in hac propositione: Petrus bonus Philosophus, si prædicatum *bonus* cadit supra formale subjecti significatum, nempe supra Philosophiam, tunc appellatio dicitur formalis; si autem Prædicatum *bonus* cadit solùm supra subjectum, nempe supra Petrum habentem Philosophiam, tunc appellatio erit materialis.

Quid est Reduplicatio?

32. *Reduplicatio dicitur, cùm terminus aliquis ad denotandam quandã & xpressionem significationis*

ficationis repetitur, *per aliquam illarum particularum: quatenus*, *inquantum*, *prout*, *præcisè*, *formaliter &c;* Et hoc contingit dupliciter, ſpecificativè & reduplicativè. *Specificativè tunc fit Reduplicatiò*, quando vox aliqua repetita, non eſt cauſa Prædicati, illam tamen in ſe continet, ùt cùm dico: homo, inquantum homo, ſentit. *Reduplicativè autem fit Reduplicatio* tunc, quando vox repetita, eſt vera cauſa Prædicati, ùt cùm dico: animal, quatenus animal, ſentit. Ibi enim in primo exemplo: *ly homo*, non eſt cauſa ſentiendi, ſed eam continet: nam cotinet animal; in ſecundo autem exemplo: *animal* ipſum, eſt cauſa ſentiendi, ideo in primo exemplo *vox homo* repetita dicitur reduplicari ſpecificativè, in ſecundo autem exemplo repetita, dicitur reduplicari reduplicativè.

PARS II.

LOGICÆ INCIPIENTIUM, De Definitione, Diviſione, & Propoſitione.

Qui ſunt modi Sciendi?

1. DEfinitio, Diviſio, & Argumentatio appellantur modi ſciendi, ab aliis Inſtrumenta Logicæ, ſumpto videlicet modô ſciendi pro eo, quod tradit clariorem rerum notitiam, *ſive illa ſis ſcientifica*, ſicut ſola Demonſtratio, quæ eſt

ſpecies Demonſtrationis, propriè dicitur modus ſciendi: nam ſola generat ſcientiam propiè dictam; *ſive non ſit ſcientifica*, quæ quomodocunq; ſit ignoti manifeſtativa. Id enim eſt de ratione modi ſciendi, ut ignotum manifeſtet, non illud quidem ignotum, quod ponitur ignoratur, ùt *v.g.* quidnam nunc Rex Poloniarum Dresnæ agat? aut an ſummus Pontifex nunc vigilet? vel dormiat? ſed illud manifeſtet ignotum, quod cognoſcitur quidem, ſed obſcurè, & in confuſo, qualiter quilibet etiam rudiſſimus cognoſcit, quid ſit homo? quid bos? Hoc ergo poſterius pertinet ad modum ſciendi, ut illa, quæ à nobis obſcurè ſolùm & confusè ſciuntur, clarificet, & ſine periculo errandi ad notitiam deducat.

Quid nobis modi ſciendi manifeſtant?

2. QUia igitur tria obſcurè cognoſcimus, nimirum eſſentiam rei, ſeu quid res ſit? partes rei, ſeu quotuplex ſit? demum proprietates & attributa, quæ rei competunt; ideo hi tres modi ſciendi, iſta nobis manifeſtant, atq; clariora efficiunt: nempe per Definitionem manifeſtatur eſſentia rei, per Diviſionem partes rei, ſeu quotuplex ſit? per Argumentationem, quid rei tribuatur? ideoq; his tribus modis ſciendi, omnem ignorantiam ſuperamus. Sit itaq;

TITU-

TITULUS PRIMUS.

De Definitione & Regulis illius.

Quid est Definitio?

3. EST *oratio, quæ, quid sit res? exponit.* Et hæc, si solam nominis significationem exponit, appellatur *Definitio quò ad nomen*; si verò explicat rem ipsam, ipsiusq; naturam, *dicitur Definitio rei, quæ sola* meretur nomen definitionis: & hæc in præsenti principaliter consideratur.

Quotuplex est Definitio?

4. ORdinariè alia est Essentialis, alia accidentalis seu descriptiva. *Definitio essentialis est*, quæ rei naturam explicat per principia essentialia, ipsam intrinsecè constituentia, talia inquam, sine quibus res esse, subsistere & intelligi non potest. Idq; sive illa principia *essentialia sint Physica*, qualia sunt materia & forma, ùt in homine corpus & anima rationalis. Sive sint *principia Metaphysica*, qualia sunt Genus & differentia, ùt in eodem homine animal & rationale.

5. *Definitio descriptiva*, quæ explicat naturam rei per ea, quæ illi in sua essentia constitutæ adueniunt: nam res bene potest in notitiam venire, non solùm per illa, quæ eam constituunt intrinsecè ac essentialiter; sed etiam per illa, quæ illi à foris adveniunt.

6. Sed

6. Sed hæc Definitio deſcriptiva eſt triplex: Propria, accidentalis & cauſalis. *Propria vocatur*, quæ explicat rei naturam per proprietates, quæ illi conveniunt: ùt hominem per capacitatem ſcientiarum. *Accidentalis eſt*, quæ rei naturam exponit per congeriem accidentium, quorum aliqua poſſunt equidem alijs competere, ſimul tamen ſumpta; ſoli rei definitæ conveniunt: hâc Rhetores & Pòëtæ maximè utuntur. *Cauſalis* dicitur, quæ rem explicat per cauſas extrinſecas *v.g.* hæc: homo eſt creatura Dei (en cauſa efficiens DEUS) ad imaginem ejus (en cauſa exemplaris) propter beatitudinem æternam conſequendam (en cauſa finalis.)

Quæ ſunt Regulæ bonæ Definitionis?

7. 1Stæ: *Regula 1ma*, ut quantum fieri poteſt, definitio ſit brevis: ita tamen, ut neq; ſit diminuta ſeu deficiens, neq; ſuperflua & abundans, adeoq; in definitione non approbantur illæ particulæ &, vel. Hinc illæ definitiones non probantur: Homo eſt ſubſtantia corporea rationalis. *Item* homo eſt animal rationale vivens: quia *1ma* eſt deficiens, debet enim conſtare genere proximo, quale reſpectu hominis eſt animal, *2da* ſuperfluè addit vivens, quia id continetur in animali.

Regula 2da. Dfinitio debet eſſe clarior ſuo definito, aliàs illud non explicaret, ſed magis obſcuraret.

Regula 3tia, ut conſtet genere proximo & differen-

differentiâ ultima, seu atoma: sive etiam talibus particulîs, quæ in Definitione ponantur locò generis & differentiæ. Per genus enim res definita debet convenire cum multis, per differentiam debet differre ab omnibus. *Hæc differentia, ultima vocatur* per respectũ ad differentias superiores & subalternas. Hanc tamẽ ipsam differentiam, Philosophi aliquando appellant *primam* per respectum ad prædicata secundò essentialia rei, per hæc enim differt etiam res ab alijs, sed non primò differt. Sic *rationale* respectu admirativi, disciplinabilis, risibilis *&c.* dicitur *differentia prima;* respectu autem sensitivi, animati, corporei, dicitur differentia ultima.

Regula 4ta. Definitio debet converti cum suo definito, Ideoq; semper valet consequentia à definitione ad definitum & è contra.

Regula 5ta. Quidquid affirmatur, aut negatur de definito, id potest affirmari, aut negari de definitione: intellige de definitione primò intentionaliter accepta. Sic quia possum affirmare de homine, quòd sit admirativus, disciplinabilis, & possum negare quòd sit lapis, quòd sit insensitivus; id ipsum de animali rationali possum affirmare, aut negare.

Regula 6ta, Definitio debet convenire omni, soli & semper suo Definito, id est *omni* illi, quod pertinet ad naturam definitam: *soli* naturæ definitæ, & per differentiam ultimam ab

alijs

aliis omnibus discretæ; *semper* quia, cùm per definitionem explicatur essentia definiti, impossibile est illi aliquando non convenire suam essentiam: aliàs posset aliquid subsistere, & esse sine sua essentia, quod implicat contradictionem.

8. Prædictæ Regulæ, nō omni definitioni conveniunt, sed duntaxat essentiali & Metaphysicæ, nimirum per genus & differentiam datæ. Jam autem ad alias definitionum species solùm requiritur, ut sint clariores suo definitó, & omni soli conveniant.

TITULUS SECUNDUS

De Divisione & Regulis ejus.

Quid est Divisio & quotuplex?

9. D*Ivisio, est oratio totum aliquod in suas partes distribuens.* Hic non est sermo de Divisione illa, quando vox aliqua ambigua ac æquivoca in sua significata distribuitur; hæc enim solùm impropriè divisio vocatur. Sed loquimur in præsenti, de divisione rei. Sicut autem res seu totum est triplex nempe: actuale, potentiale & accidentale; ita divisio totius, alia est actualis, alia potentialis, alia accidentalis.

10. *Divisio actualis* est, quâ totum in partes, ex quibus actu constat dividitur, quæ partes, si sunt essentiales physicæ, ùt hominis corpus

& anima, vocatur *Divisio actualis essentialis Physica*: si autem partes sunt essentiales Metaphysicæ, ut genus & differentia *vg.* respectu hominis, animal rationale, dicitur *Divisio actualis essentialis Metaphysica*. Tandem, si partes sunt Physicæ integrantes, ex quibus totum physicum integratur, ùt dum corpus hominis dividitur in caput, manus, pedes, *&c*: appellatur *Divisio Physica integralis actualis*. Tali divisione dividitur totum integrale, vel in *partes homogeneas*, seu in eas, quæ sunt ejusdem rationis cum suo totò, ùt dum aqua dividitur in guttas: *vel in partes heterogeneas*, nempe in illas, quæ sunt dissimiles & diversæ rationis inter se, ùt cùm corpus humanum dividitur in ossa, nervos, cerebrum, oculos *&c*: Et hæc exempla divisionis, sunt *totius permanentis*, ad differentiam *totius successivi*, quale est tempus, cujus partes sibi non coëxistunt, quod dividitur in dies, horas, quadrantes *&c*.

11. *Divisio potentialis* est, quâ totum potentiale habens sub se partes subjectivas dividitur in illas. Sic quodlibet universale dividitur in sua inferiora, ùt genus in species, species in individua: nam hæc inferiora in suo toto solùm potestate continentur: neq; enim animal est actu homo, leo, bos *&c*; neq; homo est actu Petrus, Paulus, Joannes *&c*: Et hæc divisio *vel est univoca*, quando totum potentiale in sua inferiora, quibûs eodem modo secundùm suam rationem formalem competit, distribuitur: ùt

dum

dum animal dividitur in rationale & irrationale; *vel est analoga*, quando totum potentiale analogum, in sua analogata dividitur: ùt cùm totum analogum *vg.* caput dividitur in caput hominis, caput libri, & caput montis.

12. *Divisio accidentalis*, per quam *aut subjectum in sua accidentia*, ùt pomum in ceruleum, rubrum & viride; aut *accidens in sua subjecta*, ùt album in lac, nivem, cignum; aut *deniq; accidens in accidentia* dividitur, ùt album in dulce & amarum.

Quæ sunt Regulæ bonæ Divisionis?

13. ISTæ: *Regula 1ma.* Divisum debet esse majus qualibet parte se dividente.

Regula 2da. Membra dividentia simul sumpta debent adæquare suum divisum: id est, neq; illa divisum excedat, neq; ab illis deficiat. Ideo non esset recta divisio animalis in hominem & volucres, quia præter hæc, dantur bruta terrestria, pisces, insecta *&c.*

Regula 3tia. Divisio, quantum fieri potest, debet esse in membra paucissima & proxima; ad evitandam in enumeratione multorum confusionem & memoriæ fatigationem. Ad tantam tamen debent revocari paucitatem membra dividentia, ùt totum plenè exhauriant. Ideo non esset recta divisio animalis in hominem, volucres, pisces, vermes *&c:* quia pauciora membra possunt immediatè adæquare totam animalis naturam: nempe rationale & irrationale: Sub quibus duobus tota congeries specierum animalis continetur.

Regula 4ta. Membra dividentia, ita ſint oppoſita, ut unum non contineat, ſed excludat aliud: aliàs bis repeteretur idem membrum, ſi unum in altero includeretur, *imò in ſe, 2dò ùt* incluſum in altero membro.

TITULUS TERTIUS DE PROPOSITIONE.

14. PRopoſitio pertinet ad ſecundam mentis operationem, quia in Propoſitione ſemper affirmatur, vel negatur prædicatum de ſubjecto: ex eo autem hoc nomine *Propoſitio* vocatur, quòd proponat, ac enuntiet illud, quod eſt in mente. Ab Ariſtotele appellatur Interpretatio; nam ipſa eſt mentis interpres.

PUNCTUM PRIMUM De definitione & diviſione Propoſitionis.

Quid eſt Propoſitio?

15. *EST oratio enuntians unum de alio, aut verè, aut falsè.* Enuntiare igitur unum de alio eſt eſſentia Propoſitionis; enuntiare autem verè, aut falsè, eſt ſolùm proprietas conſequens ex hoc, quòd enuntiet unum de alio. Et licètſi difinitio, diviſio ac argumentatio ſuſcipiant verum, vel falſum, hoc tamen illis convenit ex eo, quòd includunt Propoſitionem.

Qua

Quæ sunt partes Propositionis?

16. CONstituentes partes Propositionem sunt, Prædicatum, Subjectum & copula, sicut jam supradictum est, in qualibet tamen Propositione necessariò hæc duo inveniuntur. materia & forma. *Materia* sunt res illæ, de quibus tractat Propositio, sed hæc vocatur *remota*: nam *proxima* materia Propositionis, sunt termini, nempe subjectum & prædicatum, quæ sunt partes Propositionis. *Forma Propositionis*, sunt subjecti & prædicati dispositio, vel potiùs unius termini de alio enuntiatio secundùm subjectionem & prædicationem.

Quotuplex est Propositio?

17. VAriæ adferuntur Propositionis divisiones, nos has solùmmodo adducemus, quæ magìs utiles videntur. Generaliter itaq; *imò*: Propositio alia est categorica alia Hypothetica. *Categorica aliter vocatur simplex, absoluta*, estq; illa, quando unum prædicatum de uno subjecto sine ulla conditione enuntiatur sive affirmando, sive negando. Copula quoq; nectens prædicatum subjecto debet poni in Propositione categorica: quodsi ponatur explicitè, ùt in hac propositione; DEUS est immortalis, *appellatur de tertio adjacente*, eò quòd verbum *est* invenitur in illa; acsi tertium adjacens duobus terminis, quos adinvicem conjungit. Si autem

talis copula expreſsè non ponitur in Propoſitionibus, ùt in iſtis: DEUS omnia videt, animal vivit, Sol lucet &c: vocantur *de verbo adjectivo*. In talibus tamen Propoſitionibus reperitur copula implicitè, ſi reducantur hoc modo: DEUS eſt omnia videns, animal eſt vivens, ſol eſt lucens. *Deniq; aliqando dicuntur Propoſitiones de ſecundo adjacente*, eò, quòd copula: *eſt*, uni tantùm ſubjecto adjacens apponitur, ùt iſtæ: DEUS eſt, Chymera non eſt &c: Quæ pariter ſunt reducibiles, ſicut & Propoſitiones de verbo adjectivo *vg.* DEUS eſt exiſtens, chymera non eſt exiſtens.

18. *Hypothetica Propoſitio*, *ſeu compoſita*, eſt, quæ componitur ex duabus vel pluribus ſimplicibus ac categoricis Propoſitionibus *vg.* DEUS & miſericors & juſtus eſt. Vocantur autem Propoſitiones Hypotheticæ, vocabulô ad genus translato; nam ſola Propoſitio conditionalis, eſt verè Hypothetica, & præcipua ſpecies Propoſitionis compoſitæ.

19. Sicut quinq; ſunt genera particularum, quæ ſolent unire plures Propoſitiones categoricas: ita quinq; modîs formatur Propoſitio Hypothetica: alia enim eſt conditionalis, alia rationalis, alia cauſalis, alia copulativa, alia disjunctiva. *Conditionalis* vocatur, quæ unitur particulâ conditionali *vg.* niſi efficiamini ſicut hic parvulus, non intrabitis in Regnum Cælorum: vel ſi malè egeris, ſtatim peccatum in foribus aderit. *Rationalis eſt*, quæ unitur particulâ ratioali *vg.*

DEUS

DEUS eſt miſericors. Ergo pænitentiam agenti facilè parcit: vel DEUS eſt juſtus. Ergo impenitentem peccatorem punit. *Cauſalis* illa dicitur, quæ unitur particulâ cauſali *vg.* quia DEUS non ſtatim peccatorem punit; ideò audentiùs peccatur. *Copulativa* vocatur illa, quæ unitur particulîs copulativis *vg.* juſtus eſt & miſericors Dominus. Deniq; *Disjunctiva* eſt, quæ jungitur particulîs disjunctivis *vg.* vel laboras in vita pro æterna beatitudine, vel pro æterna damnatione.

20. *2dò.* Propoſitio vel eſt neceſſaria, vel contingens, vel poſſibilis, vel impoſſibilis. *Neceſſaria* vocatur, quæ formatur in materia neceſſaria, dum nempe prædicatum neceſſariò competit ſubjecto: ùt DEUS eſt immortalis, homo eſt diſciplinabilis. *Contingens* eſt, quæ fit in materia contingenti, adeoq; prædicatum contingenter ſubjecto convenit, ùt Adam eſt juſtus, Cain eſt peccator. *Poſſibilis* dicitur, quando prædicatum ita convenit ſubjecto, ut poſſit non convenire *vg.* Auguſtus, eſt Rex. Deniq; *Impoſſibilis* dum prædicatum nullo modo poteſt convenire ſubjecto, ùt bos volat.

21. *3tiò.* Dividitur Propoſitio in negativam & affirmativam. *Negativa eſt*, quæ prædicatum denegat ſubjecto, ùt Petrus non eſt lapis. *Affirmativa* verò, quæ prædicatum de ſubjecto, affirmat, ùt Adam, eſt Rex. Ut tamen Propoſitio dicatur verè negativa, debet negatio

afficere

afficere verbum, quodsi tantùm afficiat terminos Propositionis, Propositio dicetur affirmativa, quamvis fuerit de tèrminis infinitis, út non homo, est non lapis: affirmatio autem & negatio, vocatur in Logica *Qualitas Propositionum.*

22. *4tò.* Dividitur Propositio in unversalem particularem & indefinitam. *Universalis est*, qando in Prositione subjectum afficitur signo universali ùt omnis virtus est laudanda. *Particulis est*, quando subjectum afficitur signo particulari: ùt aliquis peccator salvabitur. *Indefinita est*, quando subjectum in Propositione nullo afficitur signô *vg.* Angelus, est Dei minister, homo est creatura Dei. Hæc universalitas, aut particularitasPropositionum vocatur quantitas earum.

23 *5tò.* Propositio alia est absoluta, alia modalis, alia exponens, alia exponibilis. *Absoluta* dicitur, quæ simpliciter unum de alio affirmat, aut negat *vg.* homo est mortalis. Et vocatur talis. *Propositio de inesse*: nam prædicatum inest, vel non inest subjecto. *Modalis est*, quæ habet aliquem modum sibi adjunctum: sunt autem quatuor modi: necessariò, contingenter, possibilter, impossibiliter; qui possunt poni in prositione vel nominaliter, vel adverbialiter, ùt homo necessariò est mortalis, hominem impossibile est volare, contingens est hominem esse Regem, possibile est hominem observare Præcepta Dei.

Propositio Exponibilis est, quæ in se aliquam continet obscuritatem, propter quam explicari indiget

diget per aliam clariorem. *Exponens* autem illa vocatur, quæ obſcuram clariùs exponit. Sic iſta Propoſitio: omnis plaga mundi eſt nobis nota nunc, præter Auſtralem, dicitur *exponibilis* propter quandam obſcuritatem; iſta autem, quæ illam clarificat, nempe: omnes aliæ Regiones terræ ſunt nobis notæ, ſola Regio Auſtralis, nondum nobis nota eſt, dicitur exponens.

PUNCTUM SECUNDUM

De prima Proprieate Propoſitionis ſeu de Oppoſitione.

Quod ſunt proprietates Propoſitionum?

24. TRes ordinariè numerantur: Oppoſitio, Æquipollentia & Converſio, de *ima* nunc nempe de oppoſitione, de reliquis duabus in ſequentibus agemus Punctis.

Quid eſt Oppoſitio Propoſitionum?

25. DE Oppoſitione ſimplici & incomplexa egimus de Poſtprædicamentis, quæ reperitur inter voces ſimplices & incomplexas; in præſenti de complexa, quæ reperitur inter Propoſitiones, agendum reſtat. Definitur autem ejuſmodi oppoſitio ſic: *eſt duarum Propoſitionum eodem ſubjecto & prædicato conſtantium pugna, idq; vel in quantitate, vel in qualitate, vel in utroq;.* Itaq; ad propriè dictam oppoſitionem requiritur *imò*, ut illæ duæ oppoſitæ Propoſitiones conſtent eodem

ſubjecto

subjecto & prædicato: aliàs qualiscunq; variatio prædicati vel subjecti, non facit veram oppositionem. *2dò* requiritur affirmatio & negatio ejusdem de eodem. *Defectu primæ conditionis*, hæ non sunt oppositæ: CHRISTUS est homo, Christus non est homo: nam variatur suppositio in subjecto, scilicet in Christo, qui cum constat naturis duabus, humanâ & Divinâ substantialiter unitis, tamen in prima propositione sumitur solùm pro natura humana, in secunda autem pro sola Divina. *Defectu 2dæ conditionis* hæ Propositiones non sunt oppositæ: omne grave tendit deorsum, aliquod grave tendit deorsum. Tres itaq; inveniuntur oppositionis propriè dictæ species: contradictoria, contraria & subcontraria.


26. *Oppositio contradictoria*, est pugna inter duas Propositiones tam in quantitate, quàm in qualitate, hoc est, in universulitate, & particularittae, in affirmatione & negatione *vg.* omne grave tendit deorsum, aliquod grave non tendit deorsum: Et tales nunquam possunt esse simul veræ, aut simul falsæ.

27. *Oppositio contraria*, est pugna duarum Propositionum universalium in qualitate: nempe, quarum una est affirmans, altera negans *vg.* omne grave tendit deorsum, nullum grave tendit deorsum. Tales Propositiones nunquam possunt esse simul veræ, aliquando tamen possunt esse simul falsæ, *vg.* omnis homo est doctus, nullus homo est doctus.

28. *Oppoſitio ſubcontraria* eſt repugnantia duarum Propoſitionum particularium in ſolā qualitate *vg.* aliquis homo eſt doctus, aliquis homo non eſt doctus. Et hæ nunquam poſſunt eſſe ſimul falſæ, bene tamen ſimul veræ, ùt patet in allato exemplo.

29. Solet his tribus oppoſitionum ſpeciebus, quarta addi: *Subalterna* ſed hæc impropriè vocatur oppoſitio, & hæc reperitur inter duas Propoſitiones, unam univerſalem, alteram particularem, ſive affirmativas, ſive negativas *vg.* Omnis homo eſt doctus, aliquis homo eſt doctus. *Item* Aliquis homo non eſt doctus, nullus homo eſt doctus. Et tales Propoſitiones contingit eſſe aliquando ſimul falſas, ùt ſunt iſtæ: nullus homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal, aliquando ſimul veras, ùt ſunt iſtæ: Omnis homo eſt admirativus, aliquis homo eſt admirativus, aliquando una vera, altera falſa, ùt conſtat ex primis. Nihilominus ob defectum ſecundæ conditionis, non dicimus ejuſmodi Propoſitiones eſſe propriè oppoſitas. Nam ad propriè dictam oppoſitionem, ſemper requiritur, ut ex Propoſitionibus, quæ dicuntur oppoſitæ, una ſit affirmativa, altera negativa. Quia verò inter Propoſitiones ſubalternas, utraq; Propoſitio eſt vel affirmativa, vel utraq; negativa: hinc deficiente ejuſmodi conditione, Propoſitiones ſubalternæ, non dicuntur in rigore Dialectico oppoſitæ: licetſi à nonnullis inter genera Oppoſitionis numerentur.

SCHEMA



PUNCTUM SECUNDUM
De Æquipollentia secunda Propositionis Proprietate.

Quid est Æquipollentia?

30. E*St duarum Propositionum, quæ sibi erant opposita æquivalenotia* Proinde tales Propositiones redduntur idem significantes: hæc tamen æquivalentia, non ex parte terminorum subjecti, aut prædicati est accipienda. vg. Paulus Apostolus ensem stringit, Doctor gentium gladium vibrat: sed desumi debet ex

bet ex parte ſignorum, ſeu ſyncategorematum universalium, aut particularium, affirmantium, aut negantium, certo ordine diſpoſitorum. Utilitas notitiæ Æquipollentiarum in hoc oſtenditur, ut per illam obſcuriores Propoſitiones clariùs efferantur.

Quæ ſunt Regulæ Æquipollentiarum?

31. Hæ, quæ continentur iſto verſiculo:

Præ contradic: poſt contra: præ, poſtq; ſubalter.

1ma ÆQuipollentiarũ regula pro cõtradictorijs propoſitionibus, his expreſſa vocibus: *Præ contradic:* quas, qui volet reddere æquipollentes, debet præponi negatio toti illi Propoſitioni, quam quis intendit reddere idem ſignificantem, quod altera ſignificat *vg.* omnis homo eſt eloquens, aliquis homo non eſt eloquens. Unde ſi præponis primæ Propoſitioni negationem *non* dicendo: *non omnis homo eſt eloquens.* Idem ſignificabit, quod ſua contradictoria: *aliquis homo non eſt eloquens.* Quodſi alteri Propoſitioni: *aliquis homo non eſt eloquens*, præpoſueris negationem *non* dicendo: *non, aliquis homo, non eſt eloquens*, tunc æquivalet ſuæ contradictoriæ: *omnis homo eſt eloquens.* Nam hæc eſt negationis ratio formalis, ut, ſi præponatur Propoſitioni, tam quantitatem, quàm qualitatem illius immutet, ſi utrumq;

utrumq; inveniat: ſemper enim negatio deſtruit, quidquid poſt ſe invenit.

2da Æquipollentiarum regula pro Propoſitionibus contrariis & ſubcontrariis, his contenta vocibus verſiculi; *poſt-contra*, quas quisquis voluerit idem ſignificantes reddere, ſubjecto unius propoſitionis contrariarum, vel ſubcontrariarum, poſtponet negationem, & præfiget copulæ. Sint Propoſitiones conttariæ: *Omnis homo eſt eloquens*, *nullus homo eſt eloquens*, aut ſubcontrariæ *aliquis homo eſt eloquens*, *aliquis homo non eſt eloquens*, ſi poſt ſubjectum alterutrius earum ante copulam poſueris negationem *non*, reddes æquipollentem ſuæ contrariæ, vel ſubcontrariæ, tales enim Propoſitiones habebunt idem ſubjectum & prædicatum, eandem quantitatem, & qualitatem, ideoq; etiam in veritate, vel falſitate eas convenire neceſſarium eſt: ùt patet in his exemplis; *omnis homo non eſt eloquens*, æquivalet ſuæ cõtrariæ: *nullus homo eſt eloquens*; vel ex ſubcontrarijs hæc: *aliquis homo eſt eloquens*, æquivalet ſuæ ſubcontrariæ: *aliquis homo non eſt non eloquens*. In quibus propoſitionîbus æquipollentibus, ùt conſideranti patet, idem eſt ſubjectum, eadem qantitas & qualitas.

3tia Regula Æquipollentiarum pro propoſitionibus ſubalternis, quas ſi idem ſignificantes volueris reddere, debes bis ponere particulam negativam *non* in una ſubalternarum, ita tamen; ùt prima negatio toti præponatur propoſitioni, ſecunda ponatur poſt ſubjectum ante copulam immedia-

immediatè. Sint Propositiones subalternæ: *omnis homo est eloquens: aliquis homo est eloquens: nullus homo est eloquens: aliquis homo non est eloquens:* hæ, ut invicem reddantur æquipollentes; sic sunt disponendæ negationes: *non omnis homo, non est eloquens:* æquivalet huic: *aliquis homo est eloquens:* ista autem: *non aliquis homo non est eloquens:* æquivalet isti: *omnis homo est eloquens.* Item *non nullus homo est eloquens:* æquivalet suæ subcōtrariæ: *aliquis homo non est eloquens.* Ideo autem æquipollent ratione harum negationum, sic dispositarum, Propositiones subalternæ, quia similiter habent idem prædicatum & subjectum, eandem quantitatem & qualitatem ut patet cogitanti.

52. Ut faciliùs intelligatur hæc negationum applicatio in propositionibus juxta datas Regulas, hæc expositio relinquitur, *imò. non omnis* idem valet, ac *quidam: non quidam;* idem significat, *ac nullus: 2dò: omnis non,* æquivalet *nullus. Item, nullus non,* æquivalet *omnis. 3tiò, non omnis non,* æquivalet *quidam.*

PUNCTUM TERTIUM
De Conversione, tertia Propositionis Proprietate.

Quid est conversio? & quæ Propositio vocatur convertens, quæ conversa?

53. *Conversio, est transpositio subjecti in locum prædicati, & prædicati in locum subjecti.* Illa igi-

tur Pro-

tur Propositio, quæ convertitur, post suam trans mutationem, dicitur *conversa*, illa autem per quam prior convertitur ac transmutatur, sive quæ infertur ex illa, dicitur *convertens*. Quodsi ex conversa rectè infertur convertens, vocatur *conversio legitima*; si verò non bene infertur ex conversa, convertens, vocatur *conversio illegitima*.

Quotuplex est Conversio?

34. Triplex; simplex, per accidens, & per contrapositionem. *Conversio simplex* illa vocatur, in qua relicta quantitate & qualitate, sicut fuit, subjectum transmutatur in locum prædicati & prædicatum *in locum* subjecti *vg*. nullus homo volat. ergo nullum volans, est homo.

Conversio per accidens est, in qua prædicatum mutatur in locum subjecti, & subjectum in locum prædicati variata quantitate propositionum, aliamq; habeat, qantitatem convertens, aliam conversa, *vg*. omnis homo est risibilis. ergo aliquod risibile est homo. *Item* nullus homo est lapis. ergo aliquis lapis non est homo.

Conversio per contrapositionem est transmutatio subjecti in locum prædicati, & prædicati in locum subjecti, variatis terminis finitis in infinitos, per adjectioné particulæ *non*, servata eadem quantitate utriusq; propositionis *vg*. omne sentiens, est vivens. ergo omne non vivens, est non sentiens.

An quæ-

An quælibet Propositio pro suo libitu potest converti?

35. Minimè, nisi quis illegitimam facere vellet conversionem. Quapropter Universalis negativa,& particularis affirmativa cōverti debēt simpliciter: Propositio universalis negativa, & universalis affirmativa, conversione per accidens convertitur. Tandem particularis negativa convertitur per contrapositionem, qualiter etiam Universalis affirmativa, est convertibilis. Quod totum, ut faciliùs memoriâ retineatur, hoc distichô continetur.

fEcI simpliciter convertitur, Etra per accid;
Ast O per contrap: sic fit conversio tota.

36. In quibus versiculis hæ solùm quatuor vocales; A. E. I. O. sunt notandæ, in his enim *A*, designat universalem affirmativam propositionem. *E*, Universalem negativam. *I*, particularem affirmativam, *O*, particularem negativam juxta sequentes versus:

Asserit A, negat E, verùm generaliter ambæ;
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

In illis igitur priorum versuum vocibus, prima vox *fEcI*, denotat Propositiones universalem negativā & particularem affirmativam, esse convertendas simpliciter; *2da* vox *EtrA*, significat Propositionem universalem negativam & universalem affirmativam, convertendam esse per accidens; *tertia* vox *Ast O*, designat propo-

fitionem universalem affirmativam & particularem negativam, esse convertendam per contrapositionem.

Quæ Propositiones possunt bene converti?

37. PRopositiones de *inesse*, quæ constant terminîs communibûs, habentq; quantitatem universalem & particularem, sive sint affiirmamativæ, sive negativæ. *Item* Propositiones de subjecto particulari affirmativæ si constant prædicato communi, aut negativæ de subjecto communi; *demum* Propositiones de subjecto communi tam universales, quàm particclares, tam affirmativæ, quàm negativæ, possunt bene converti.

38. Notandum pro oppositione, æquipollentia & conversione Modalium Propositionum ex *D. Thoma Opusculo 4.* ubi asserit, *necessarium* habere similitudinem cum signo universali *omnis*: nam quidquid necessarium est, semper est: *impossibile* cum signo universali negativo; quod enim est impossibile, nunquam est: *possibile & contingens* cum signo particulari, nam quidquid est contingens, vel possibile, aliquando est, aliquando non est. Et ideo, necesse est esse, & impossibile est esse, sunt contraria: possibile est esse, & possibile est non esse, sunt subcontraria; necesse est esse, &

possibile

possibile est esse, sunt subalterna: necessarium est esse, & possibile est non esse, impossibile est esse, & possibile est esse, sunt contradictoria.

PARS III.

LOGICÆ INCIPIENTIUM

De Argumentatione.

ARgumentatio, est præcipuus sciendi modus, tertia intellectûs humani operatio, atq; principalis totius Logicæ finis; per hanc enim veritas de re proposita disputando inquiritur, & falsitas confutatur, quod ex simplici terminorum cognitione, aut ex simplicium enuntiationum consideratione obtineri non potest, donec una enuntiatio cum alia componatur secundùm debitum modum & ordinem, atq; alia ex alia colligatur. De hac igitur in præsenti agitur.

TITULUS PRIMUS
PUNCTUM PRIMUM
De definitione & divisione Argumentationis.

Quid est Argumentatio?

1. *EST oratio, in qua unum ex alio infertur.* Cùm enim veritates & res invicem secum connectuntur, ideo una connexarum cognitâ, se-

quitur cognitio alterius. Sic cognitò hoc, quòd aliquid ſit grave, ſequitur cognitio hujus, quòd tendat deorſum. atq; talis argumentatio vocatur diſcurſus, in quo eſt aliquis terminus in antecedente, qui non ponitur in conſequente: ùt, lapis eſt gravis. ergo tendit deorſum. Hic autem terminus, qui eſt in antecedente, & non datur iu conſequente, qualis eſt in præſenti Enthymemate *ly gravis* appellatur medium; eò; quòd illo utimur, tanquam medió ad concludendum.

Quotùplex eſt Argumentatio ſic definita?

2. EST triplex: conditionalis, cauſalis & rationalis. *Conditionalis* dicitut illa, quando infertur conſequens ex antecedente per particulam *ſi vg.* ſi Luna ponetur inter ſolem & aſpectum noſtrum, erit ecclypſis ſolis; vel ſi interponetur umbra terræ inter lunam & aſpectum noſtrum, erit ecclypſis lunæ.

Argumentatio cauſalis eſt, quando ex antecedente infertur conſequens per particulam *quia vg.* quia amicus eſt verus; non deſinet amare: quia DEUS eſt juſtus, timendus eſt.

Rationalis eſt præcipua, de qua in præſenti maxima cura habetur, dicitur illa, cùm ex antecedenti infertur conſequens per particulam *ergo*, igitur, quare, *&c:* vg. DEUS eſt Omnipotens,

tens. ergo poteſt de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ.

PUNCTUM SECUNDUM
De Inductione & Exemplo

Quot ſunt ſpecies Argumentationis?

3. SOlent numerari quatuor, Inductio, Exemplum, Enthymema & Syllogiſmus. Quibus alii ſuperaddunt Dilemma & Soritem de quibus infra, hìc ſolùm de duabus ſpeciebus agitur.

Quid eſt Inductio?

INductio, eſt argumentatio, in qua ex ſingularibus ſufficienter enumeratis concluditur univerſale, vel etiam ex univerſali particularia. vg. Elyſabeth & Joannes ſunt Sancti, Joachim & Anna Sancti. JESUS, MARIA, JOSEPH Sancti. ergo tota *Familia eſt Sancta*, vel JOANNES III. Rex Poloniæ ſemper extitit Victor. ergo & ſub Chotimo & ſub Vienna & alibi extitit Victor.

4. Hic argumentandi modus, eſt nobis ferè connaturalis & efficax ad animum convincendũ: quia in illo univerſalis veritas, veluti oculis conſpicitur in ſingularibus. Non eſt tamen ſemper neceſſe enumerare ſingularia: poteſt enim fieri inductio, etiam ab enumeratis ſpeciebus, ad con-

ad concludendum genus ſuum; vel ad concludendas ſpecies per enumerationem earum ex ſuo genere *vg.* omnis leo, omnis aquila, omnis carpio, & ſingulæ animalis ſpecies ſentiunt. Ergo omne animal ſentit. *vel idem* è contra: omne animal ſentit. ergo omnis leo, & omnis aquila, & omnis carpio, aliæq; omnes animalis ſpecies ſentiunt. Debent igitur ſufficienter enumerari inferiora ſive explicitè, ſivè implicitè, ut valeat Inductio; aliàs non valet à non ſufficienter enumeratis. Et ideo non valet: Chriſtianus ille, & ille eſt improbus. ergo omnes Chriſtiani ſunt improbi. Similiter non valet: aliquis homo currit, aliquis leo currit. ergo omne animal currit.

Quid eſt Exemplum?

5. EXemplum, quod eſt quædam Inductio imperfecta, ad illamq; reducitur, ſic definitur: *eſt argumentatio, in qua ex uno & altero particulari deducitur aliud particulare, propter aliquid ſimile in utroq; inventum.* Hæc argumentatio ab exemplo dupliciter fieri poteſt: *imò, cùm res geſta affertur, ex qua alia inducitur*, eò, quòd ſunt ſibi ſimiles *vg.* DEUS pepercit Davidi pænitenti. ergo & Petro parcet lachrymanti. Vel ebrietas nocuit Alexandro, avaritia Judam perdidit. ergo & alteri ebrioſo nocebit, alium avarum perdet. Hic argumentandi modus eſt utiliſſimus, præſertim in materia morali, & præ-

cipuè urget. 2dò cùm *ex re ficta*, ùt in parabolis, quæ dicuntur exempla solùm cogitata, *vel in fabulis; aut etiam ex vera* infertur alia ob similitudinem, & quandam cum illa proportionem *vg.* oculus infimus non perfectè videt supremum visibile. ergo à pari intellectus infimus non perfectè cognoscit supremum intelligibile. *Vel* volatilia non serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & tamen Pater Cœlestis illa pascit: Ergo & homines, qui pluris sunt illis apud DEUM, profectò pascet.

6. Notandum *imò* ut hæc argumentatio sit recta, illa similitudo, quæ adducitur inter duo particularia, debet ad rem pertinere, & debet esse causa, cur prædicatum conveniat subjecto: aliàs nihil potest inferri. Hinc non valet: Judas malè periit. ergo & Petrus malè periit: quia uterq; homo, uterq; Apostolus, uterq; peccator: nam hæc similitudo, quam inter se Petrus & Judas habent in humanitate, in Apostolatu, in peccato, ad rem non pertinet, quia non est causa convenientiæ inter subjectum & prædicatum. Non ideo enim Judas malè periit, quòd fuerit homo vel Apostolus, vel peccator, sicut & Petrus: sed ideo, quia desperavit de misericordia Dei post peccatum patratum, in quo fuit dissimilis Petro, qui sperans in Dei misericordia, egit pœnitentiam.

7. Notandum 2dò, *sicut exemplum solvitur* negando paritatem, ostendendo disparitatis rationem,

si potest

si potest ostendi; *ita Inductio solvitur* afferendo exceptionem ab aliqua propositione generali, *vg.* oculus intuens solem, videt illum longè minorem, quàm terra est, qui tamen terram magnitudine superat. Ergo quoq; intuens terram, debet illam videre minorem sole, quia revera longè minor est, quàm sol. *Item* Polonus est albus, Germanus, est albus, Anglus est albus. ergo omnis homo est albus. *Ad 1mum exemplum* ℞. negando consequentiam, & ostendendo disparem esse rationem inter intuitum solis, & inter intuitum terræ; ille enim respectu videntis oculi, est in valde magna distantia ab oculo, quæ impedit, ut res â longè visa, sub hac conspiciatur magnitudine, ac visa à prope: terra autem est proxima oculo videntis, ideo nihil impedit, ut eam videat in sua magnitudine, quam habet in se, & ideo disparitas est. *ad 2dum de Inductione* ℞. negando consequentiam, & afferendo hanc exceptionem: quia Æthiopes sunt homines & tamen non sunt albi.

PUNCTUM III.
De Enthymemate, Dilemmate & Sorite.

Quid est Enthymema?

1. E*St argumentatio, in qua ex propositione antecedente unica, infertur altera.* nempe conclusio *vg.* lapis est gravis. ergo tendit deorsum. *Enthymema*

thymema communiter vocatur Syllogismus truncatus & imperfectus, eò, quòd in illo deficiat una propositio; sed solùm tacitè subintelligitur, Sic in allato exemplo videtur deficere, & solùm subintelligi hæc major: omne grave tendit deorsum, sed lapis est gravis. Ergo lapis tendit deorsum. Universaliter igitur quando subjectum conclusionis, pro subjecto ponitur in propositione antecedente Enthymematis, tunc cùm tale Enthymema ad Syllogismum reducitur, supplenda erit in illo propositio major. Sicut in dato enthymemate, quia *ly lapis* subjectum conclusionis, est simul subjectum antecedentis, ideo major in Syllogismo dato suppletur. Quodsi prædicatum conclusionis, est quoquè prædicatum antecedentis, tunc minor, quæ deest, supplenda erit *vg.* omnis homo est rationalis. ergo aliquod animal est rationale; quia rationale est prædicatum conclusionis, & simul antecedentis; ideo si reducatur hoc enthymema ad syllogismum, suppleri debet minor Propositio boc modo: *in 3tia Figura in Darapti*: omnis homo est rationalis, sed omnis homo est animal. ergo aliquod animal est rationale.

9. *Notandum* Dabilia sunt interdum Enthymemata, quæ non debent dici ex data causa truncati syllogismi, nam in illis neq; implicitè subintelligitur aliqua Præmissarum, sed duntaxat duas Propositiones antecedentem & consequentem expresse continent. Hoc autem solet con-

let contingere in Propositionibus conversa & convertente, vel dum ex una propositione infertur altera æquipollens, aut ex universali particularis subalterna, vel ex majore inferatur conditionatum consequens, aliaq; his similia enthymemata inveniuntur, in quibus non necessariò subintelligitur 3tia Propositio, ùt patet in his exemplis: omnis homo est disciplinarum capax. Ergo aliquod subjectum disciplinarum capax, est homo. *Item* omnis homo est disciplinarũ capax. ergo nullus homo, non est disciplinarum capax. *Item* omnis homo est sociabilis. ergo aliquod sociabile est homo. *Item* omnis homo est risibilis. Ergo si hic infans est homo, est risibilis.

Quid est Dilemma?

10. EST *Syllogismus ille, in quo per Propositionem disjunctivam ita enuntiantur contradictoria, ut adversarius alterum admittere teneatur, quocunq; autem admisso, semper premitur ac convincitur.* Sic illud *S. Augustini* contra negantes scientias: aut scis, quod negas? aut nescis? si scis? ergo tibi cõtradicis: in te enim ipso experiris, quod negas. Si nescis? ergo imprudenter negas, quod ignoras, adeoq; audiendus non es: *Item* illud ex sensu ejusdem S. Doctoris: Custodes Sepulchri Christi alloquentis: vel vidistis auferri Christũ à Discipulis ex Sepulchro? vel non vidistis? si vidistis? quomodo igitur vobis dormientibus ablatus est?

vel quare illum auferri permisistis? si non vidistis? non est audiendum vestrum testimonium, quia esse ablatum sine fundamento asseritis.

Quid est Sorites?

11. E*St illa argumentatio, in qua plures inter se connectuntur Propositiones* ita; ut prædicatum primæ propositionis sit subiectum secundæ, & prædicatum secundæ sit subjectum tertiæ, & prædicatum tertiæ sit subjactum quartæ, & sic deinceps, si fuerint plures propositiones: tandem in ultima propositione, quæ debet esse illativa, prædicatum propositionis penultimæ, enuntiatur de subjecto propositionis primæ, *vg.* homo est vivens, vivens est substantia, substantia est per se subsistés. ergo homo est per se subsistés. Ubi vides prædicatum præcedentium propositionum, esse subjectum sequentium; & tandem prædicatum penultimæ propositionis nempe; *per se subsistens*, enuntiatur de subjecto primæ Propositionis, nimirum de homine.

TITULUS SECUNDUS
DE CONSEQUENTIA.

QUoniam in qualibet specie argumentationis reperitur conclusio, quæ solet vocari consequentia; ideo naturam & regulas cognitionis illius præmittere necessarium duxi, antequam ad syllogismum explicandum accesserim. Sit itaq;

PUN-

PUNCTUM PRIMUM
De natura Consequentiæ & Consequentis.

Quid est Consequentia?

12. *Consequentia in communi est illa propositio, quæ ex alijs, aut ex alia infertur.* vg. Paulus Virorum literatorum consortia amat; ergo est literatus & literarum æstimator.

Quotupliciter sumitur Consequentia?

13. Dupliciter: materialiter & formaliter. *Consequentia materialiter sumpta*, est Propositio ex aliis, vel alia, illata, secundùm se præcisè accepta, independenter ab hoc, sitne connexa, vel non sit cum præmissis, seu cum antecedente. *Consequentia formaliter sumpta*, est eadem Propositio illata ex antecedente, non nudè spectata, sed prout dicit connexionem veritatis, quam enuntiat, cum veritate antecedentis.

Quotupliciter connectitur Consequentia cum antecedente?

14. *Dupliciter: imò ratione materiæ tantùm*, & tunc dicitur consequētia bona matetialiter, seu consequentia materialis, si nempe, objectum conclusionis seu materia circa quam, connectitur cum Objecto antecedentis, etiamsi illatio non fiat fortè juxta leges bonæ argumentationis

lationis, & tunc in alia materia servato eodem artificiô potest sequi falsum *vg.* omnis adamas verus, est pretiosus. Ergo omne pretiosum, est verus adamas. *2dò connectitur ratione formæ tantùm*, & tunc dicitur bona consequentia formaliter, seu consequentia formalis, quando nimirum conclusio argumenti, juxta formam argumentationis à legibus Logicæ præscriptam, bene infertur ex antecedente, quamvis forsitan aliquando in materia & subjecto non connectatur eadem conclusio cum antecedente. *1mi exemplum:* omne grave tendit deorsum. Ergo omne tendens deorsum, est grave. In hoc argumento consequens est verum, & consequentia bona materialiter, quia materia circa quam, seu objectum conclusionis, connectitur cum materia circa quam, seu cum objecto antecedentis: nihilominus non est bona consequentia formaliter, quia non est facta juxta regulas Logicæ ista conversio: hæ enim præscribunt, ut propositio universalis affirmativa, vel convertatur per accidens sic: omne grave tendit deorsum. Ergo aliquod tendens deorsum, est grave Vel convertatur per contrapositionem sic: omne grave tendit deorsum. Ergo omne non tendens deorsum est non grave. *Exemplum 2di*, omnis verus adamas est pretiosus. ergo aliquod pretiosum, est verus adamas. In hoc argumento consequentia est bona formaliter, quia in illa inferenda observatur artificium Logicæ: nam converti-

convertitur universalis affirmativa per accidens in particularem affirmativam, juxta datas suprà leges. Ideoq; servato artificiò in convertendo, etiam in alia materia, nunquam ex vero antecedente sequitur falsum consequens. *Similiter in hoc argumento*: nullus homo est liber. ergo aliquod liberum, non est homo: consequentia est formaliter bona, quia fit juxta leges Logicæ in conversione datas, nempe universalem negativam, posse converti per accidens, sicut in præsenti convertitur; tamē materialiter non est bona; quia in objecto, seu in materia conclusionis, non connectitur cum antecedente, quod est in materia falsum: falsum enim est, nullum hominem esse liberum.

An Consequens & Consequentia idem significant?

15. *Consequens & Consequentia* nunquam debent confundi: nam sicut potest esse bona consequentia, licèt falsum sit consequens; ita è contra potest esse falsa consequentia, licèt sit verum consequens, vg. Angelus est corpus. Ergo Angelus est substantia. vel Angelus est animal. Ergo Angelus est sensitivus. *In primo igitur argumento* consequens est verum: nam verum est, quòd Angelus est substantia, tamen consequentia falsa est, quia non bene infertur Angelum esse substantiam, quòd sit corpus: nam extrema consequentis secum non connectuntur,
ideo

ideo, quia etiam cum medio in antecedente non connectebantur. *In secundo quoq; argumento* consequens est falsum, nam non est verum, quòd Angelus sit sensitivus, cosequentia tamen est vera, quia bene infertur Angelum ex eo esse sensitivum, quòd sit Animal: nam extrema consequentis se cum connectuntur, ex eo, quòd cum medio in antecedente connectebantur.

Quomodo inter se differunt Consequens & Consequentia?

16. Hóc: quia consequentia dicitur, aut bona, aut mala, si bene, aut malè sequitur ex antecedente; non potest tamen dici vera aut falsa, *Consequens* autem, potest dici verum, aut falsum, non autē bonū aut malū. Et ex hoc sequitur, quòd consequentia nunquam distinguitur, sed solùm conceditur, aut negatur, consequens autem neq; conceditur neq; negatur, sed distinguitur solùm. Propositio enim, quæ ex antecedente infertur, sumpta secundùm se præcisè, potest habere multiplicem sensum; quæ in uno sensu accepta potest inferri ex præmissis, seu ex antecedente, seu cum illo connexionem habere; quod illi non competit in alio sensu. Quo tempore solet dici in responsione: si consequens accipitur in tali & tali sensu per distinctionem explicato, concedo consequentiam: hoc est affirmo bonam esse illatio-

nem,

nem, & consequens taliter sumptum, bene connecti cum præmissis. Si autem consequens sumatur in alio sensu, nego consequentiam, id est nego bonam esse illationem, seu nego consequens connecti cum præmissis, ex illisq; inferri.

Quæ debent considerari in Consequentia?

17. TRia hæc: antecedens, consequens & consequentia strictè sumpta. *Antecedens est illud*, quod præcedit, & ex quo sequitur conclusio. *Consequens* est ultima Propositio illata ex antecedente, accepta secundùm se præcisè & independenter à particula illativa ergo. Et sic consequens idem significat, quod consequentia materialiter sumpta. *Consequentia* est similiter ultima in argumento Propositio illata ex antecedente, prout indicat connexionem, quæ reperitur inter veritatem præmissarum, & veritatem consequentis, ita, ut veritas præmissarum inferat veritatem cousequentis, soletq; exprimi per particulas illativas: ergo, igitur &c: *Exemplificatur hoc totum in sequenti argumento;* Regibus proprium est benefacere. Sed Augustus est Rex. ergo Augusto proprium est benefacere. *vel* DEUS est infinitè misericors. Ergo pronissimus est ad parcendum. In hac utraq; argumētatione, nimirum *in syllogismo duæ Præmissæ, in Enthymemate verò prima propositio, dicuntur antecedens;* quia antecedunt conclusionem, *conclusio in utroq; dicitur consequens*,

consequens, si sumatur secundùm se independenter ab hoc, an sit connexa veritas illius cum veritate antecedentis, vel non sit connexa. *Eadem quoq; conclusio, dicitur consequentia* cum hoc nempe respectu, si consideretur, prout veritas illius dicit connexionem cum veritate antecedentis.

PUNCTUM SECUNDUM
De quibusdam Regulis consequentiarum.

Quæ sunt Regulæ consequentiarum?

18. Regulæ consequentiarum variæ à variis assignantur, quas alii ad plures, alii ad pauciores revocant, nos hìc magìs utiles recensemus.

19. *Regula 1ma*, ex vero nunquam sequitur falsum, ex falso autem potest sequi & verum & falsum *vg.* homo est sensitivus. ergo est animal. *Vel* homo est lapis. ergo est substantia. *vel* ergo est inanimatus. In primo argumento, ex vero sequitur verum, ex secundo argumento sequitur & verum, & falsum: idq; in bona consequentia, ùt consideranti patet.

Regula secunda; ex affirmatione termini habentis necessariam connexionem cum altero, illius quoq; alterius sic connexi, sequitur affirmatio. Sic quia tendentia deorsum, habet necessariam connexionem cum gravitate, tanquam illius

H proprie-

proprietas, ideo posita affirmatione tendentiæ deorsum de aliquo, sequitur affirmatio gravitatis de illo, *vg.* lapis tendit deorsum. ergo est gravis. Idem in oppositum dicendum est de negatione *vg.* ignis non tendit, nec tendere potest deorsum. ergo non est gravis.

Regula tertia, ex assertione unius termini de duobus sibi repugnantibus, sequitur negatio alterius *vg.* ignis habet levitatem. ergo non habet gravitatem.

Regula 4ta, ex negatione termini contrarié oppositi, non sequitur alterius affirmatio *vg.* aqua non est frigida. ergo est calida; nam potest esse tepida; jam autem ex affirmatione unius contradictorij, sequitur negatio alterius contradictorij, sicut & ex negatione unius contradictorij, affirmatio alterius *vg.* omnis homo est eloquens. ergo aliquis homo non est eloquens. *vel* nullus homo est eloquens. ergo aliquis homo est eloquens

Regula 5ta: quidquid inest subjecto universali, inest & omnibus sub illo contentis, quod autem non inest subjecto universali, neq; inest contentis sub illo. Sic quia homini inest risibile, animal, vivens, *&c:* inest & Petro aliisq; individuis sub homine contentis: quia verò homini non inest planta, lapis, rugibile, neq; inest inferioribus illius.

Regula 6ta, Quidquid repugnat consequenti, repugnat & antecedenti, non tamen, quidquid

repu-

repugnat antecedenti, repugnat consequenti. Et ideo quidquid repugnat animali *vg.* esse lapidem, repugnat & homini, sed non omne, quod repugnat homini *vg.* rugire, repugnat animali *Per consequens* hoc loci intelligitur prædicatum superius, *per antecedens autem*, prædicatum inferius: nam in discursu Logico ex inferiori, sequitur superius, ùt ex animali vivens, non tamen è contra ex superiori inferius, quia ex vivente non sequitur animal, potest enim sequi planta.

Regula 7ma, Ab una suppositione ad aliam, non valet consequentia *vg.* Planetæ sunt septem, quæ est suppositio collectiva. Ergo Sol & Luna sunt planetæ septem, quæ est suppositio divisiva.

Regula 8va, à Subjecto non supponente, nihil sequitur *vg.* octo Sacramenta, non sunt septem. ergo Sacramenta non sunt septem. In quo Enthymemate subjectum antecedentis octo Sacramenta, non supponit: nam non dantur octo Sacramenta, & ideo ex hoc antecedente non sequitur, Sacramenta non esse septem, bene autem sequeretur sic: Sacramenta septem, non sunt tria. Ergo Sacramenta non sunt tria: quia antecedens supponit Sacramenta esse septem.

Regula 9na, neq; à sensu diviso ad compositum, neq; à composito ad divisum valet consequentia, *vg.* quiescere & laborare est impossibile. ergo laborare est impossibile. Ubi in antecedente, est sensus compositus, in consequente divisus.

Regula 10, à ſenſu diſtributivo ad diſtributum tenet conſequentia *vg.* omnes equi ſunt hinnibiles. ergo hic & ille equus eſt hinnibilis.

Regula 11ma, à ſenſu non diſtributo ad diſtributum non valet conſequentia, quemadmodum & à disjunctivo ad collectivum, ad disjunctum & ad diſtributum *vg.* ſolus homo philoſophatur. ergo Petrus & Paulus, qui literas non didicerunt, philoſophantur. In cujus argumenti antecedente propoſitione, ſenſꝰ eſt non diſtributꝰ, in conſequente autem diſtribuitur, & ideo mala conſequentia, & falſum conſequens. *Item* aliquis homo eſt Philoſophus; in hac propoſitione eſt ſenſus disjunctivus, ergo omnis homo eſt Philoſophus: in hac autem eſt ſenſus collectivus, ideo non bene infertur conſequentia. Et ſic de aliis intelligendum.

20. Regula 12ma, Univerſalis & certiſſima cujuſcunq; conſequentiæ. *Tunc eſt bona conſequentia ratione formæ*, quando contradictio conſequentis, deſtruit antecedens *vg.* Ariſtoteles eſt Philoſophus. ergo Atiſtoteles eſt homo. Quia enim contradictio conſequentis in dato argumento, nempè: *Ariſtoteles non eſt homo*, deſtruit veritatem antecedentis iſtius: *Ariſtoteles eſt Philoſophus*: ideo conſequentia cſt bona, cum cōtradictio cōſequentis deſtruens, antecedens, eſt falſa; nam ſoli homini competit eſſe Philoſophum. E contra *tunc conſequentia ratione formæ eſt mala*, quando contradictio conſequentis non evertit, neq; deſtruit.

verita-

veritatem antecedentis, *vg* Ariſtoteles eſt homo. Ergo Ariſtoteles eſt juſtus. Ubi hæc contradictio conſequentis: *Ariſtoteles non eſt juſtus*, non deſtruit veritatem iſtius dati antecedentis: *Ariſtoteles eſt homo*. Etſi enim Ariſtoteles non eſſet juſtus, non ideo ſequeretur Ariſtotelem non eſſe hominem. Ac proinde in allato argumento conſequentia ratione formæ, eſt mala, quamvis ratione materiæ poſſit eſſe conſequens verum: contingit enim Ariſtotelem eſſe juſtum.

TITULUS TERTIUS DE SYLLOGISMO.

QUoniam Syllogiſmus eſt celeberrima & potior argumentationis ſpecies; ideo ampliori indiget tractatione & applicatione majori; quapropter circa illius explicationem paulò prolixiùs agendum reſtat. Sit itaq;.

PUNCTUM PRIMUM DE SYLLOGISMI DEFINITIONE

Quid eſt Syllogiſmus?

21. *ESt argumentatio, in qua ex duabus præmiſſis, rectè diſpoſitis, tertia concluſio neceſſariò infertur.* vg. omnis ſcientiarum avidus, eſt gloriâ & honore dignus. Sed Paulus eſt ſcientiarum avidus. ergo Paulus eſt gloriâ & honore dignus. In quo Syllogiſmo ita diſpoſito, ſicut & in alijs

omnibus

omnibus, concessis præmissis, hoc est majori & minori propositione, tali enim nomine solent vocari, nunquam debet negari consequentia, quæ naturali quodam pondere, ex primis duabus sequitur, imò in illis virtualiter continetur, nam hæc conclusio: *ergo Paulus est gloriâ & honore dignus*, continetur in hac præmissa majore: *omnis scientiarum avidus est gloriâ & honore dignus*, in universali enim continetur particulare, quâ de causa intellectus ad concedendam conclusionem necessitatur: aliàs, si negaretur conclusio, idem negaretur in particulari, quod erat concessum in universali.

Quot Propositiones & quot Termini in Syllogismo debent inveniri?

22. Sicut in dato Syllogismo; ita in omnibus aliis legitimè dispositis, tres ponuntur propositiones, tresq; termini, neq; plures termini unquam possunt poni, quia per hoc esset vitiosus Syllogismus, si pluribus terminis, quàm tribus constaret, qualis Syllogismus est hic: omne bonum est expetendum. Sed scientia est bona. ergo pro acquirenda scientia est laborandũ. Qui ideo vitiosus est, & potest in eo securè negari consequentia, quia quatuor constat terminis. 1mus est *bonum*, secũndus *expetendum*, tertius *scientia*, quartus est *laborandum*; cum deberet inferri, ut essent tres solùm termini. *Ergo scientia est expetenda.*

23. In omni Syllogiſmo prima Propoſitio vocatur *Major* ſecunda *minor* tertia *concluſio vel conſequens;* primus autem terminus appellatur *majus extremum*, ſecundus *minus extremum*, tertius *medium dicitur*, qui eſt ipſa ratio concluſionis, ideo bis repetitur, nempe in majori & minori, ſive pro ſubjecto, ſive pro prædicato, pro ratione figuræ; in qua conſtruitur Syllogimus, nunquam tamen medius terminus concluſionem ingreditur, ſed ſola duntaxat extrema.

Hoc totum conſtat ex hoc exemplo: omne bonum eſt amandum. ſed virtus eſt bona. ergo virtus eſt amanda. In quo *bonum*, *amandum*, *virtus*, ſunt tres termini: jam autem *eſt amandum*, eſt majus extremum, quod hìc in majore ponitur pro prædicato, *virtus* vocatur minus extremum, quod in minori ponitur pro ſubjecto, moxq; eadem duo extrema, majus videlicet & minus extremum, conjunguntur inter ſe in concluſione, ideo quia fuerunt conjuncta cum medio termino in Præmiſſis. *Bonum* appellatur medium ſeu ratio veritatis concluſionis, quare nempe, virtus eſt amanda? & hoc medium in majori pro ſubjecto, in minori pro prædicato ponitur, neq; concluſionem ingreditur. Et talis diſpoſitio trium terminorum in quolibet Syllogiſmo per primam figuram conſtructo, ſicut in allato exemplo ſervatur, perpetuò ſervari debet.

PUNCTUM SECUNDUM

De principiis Syllogiſmi intrinſecis.

Quæ & quotuplicia ſunt principia Syllogiſmi?

24. PRincipia Syllogiſmi illa dicuntur, quæ ad Syllogiſmum conſtituendum quomodocunq; concurrunt, vocantur autem principia ideo, quia Syllogiſmum principiant. Et hæc alia ſunt intrinſeca, alia extrinſeca. *Principia intrinſeca*, ſunt illa, quæ intrant ipſumSyllogiſmum eumq; conſtituunt. *Principia extrinſeca ſunt*, quæ licetſi conſtitutionem Syllogiſmi non ingrediuntur, ſed ſunt extra illum; nihilominus ad Syllogiſmi ſtructuram pertinent, de intrinſecis hic, de extrinſecis infra agetur.

Quot ſunt principia intrinſeca Syllogiſmi?

25. PRincipia Intrinſeca Syllogismi, quæ aliter vocantur eſſentialia, eò, quòd ſine illis Syllogiſmus, nec eſſe, nec intelligi poteſt, ſunt duo; materia & forma. *Materia Syllogiſmi* dicitur illa, ex qua conficiuntur Syllogiſmi: ſed hæc vel eſt remota, vel proxima: *Materia remota* ſunt termini ſeu extrema, ex quibus formantur propoſitiones, qui termini pro ſubjecto aut prædicato ponuntur in propoſitione. Ho-

rum igitur terminorum, ille, qui in conclusione Syllogismi ponitur pro prædicato, vocatur *majus extremum*: tum quia passim est universalior, quàm subjectum conclusionis, tum quia in majore in præcipuis Syllogismis, nempe in modis directis primæ figuræ, & in modis figurarum secundæ & tertiæ, solet poni pro prædicato; ille autem qui in conclusione ponitur pro subjecto, dicitur *minus extremum*, eò, quòd sit minùs universalis, quàm prædicatum conclusionis, & in prædictis modis ac figuris, ponitur pro subjecto conclusionis. Deniq; tertius terminus appellatur *medium* qui nunquam solet ingredi conclusionem Syllogismi, de quibus terminis insinuata est doctrina Puncto primo de definitione Syllogismi.

27. *Materia proxima* Syllogismi, sunt tres propositiones, ex quib9 proximè & immediatè Syllogismus constituitur, sicut ex terminis mediatè & remotè. *Prima Syllogismi Propositio, vocatur major*, ex majore extremo & medio inter se conjunctis coalescens, vg. *omne honestum est expetendũ*. *2da Propositio Syllogismi, vocatur minor*, ex minore extremo, & pariter ex medio termino simul jũctis adunata, vg. *sed scientia Philosophiæ est quid honestum*. *Tertia Syllogismi propositio, vocatur, conclusio*, quam S. Augustinus appellat *summam*, in qua majus extremum, & minus extremum ita connectuntur secum, ut singula extrema bis ponantur in Syllogismo vg. *ergo Scientia Philosophiæ est expetenda.*

Quomodo vocantur major, minor, & conclusio in Syllogismo?

28. MAjor & minor Propositio in Syllogismo simul sumptæ, appellantur *Antecedens*, eò, quòd antecedunt conclusionem, eiq; præmittuntur, hinc etiam *Præmissæ dicuntur*; ipsa autem conclusio dicitur *Consequens*; quia infertur ex præmissis, seu ex antecedente, illasq; consequitur.

29. Ista materia Syllogismorum tam remota, quàm proxima, de qua immediatè dictum, vocatur *materia ex qua*, idq; ad differentiam materiæ *circa quam*. Et hæc materia, sunt objecta vel secum identificata, aut connexa, propter identificationem aut connexionem eorundem cum uno tertio, nempè cum medio; vel sunt objecta non identificata, neq; secū connexa, eo, quòd unum illorum est idem, aut connexum cum uno tertio, alterum autem nequaquam est idem, aut connexum cum uno tertio, hoc est, cum medio.

30. Rursus hæc materia Syllogismorum *circa quam*, aut est necessaria, cùm videlicet prædicatum conclusionis necessariò convenit subjecto, propter necessariam connexionem extremorum, aut saltem unius extremi cum medio. *Aut Contingens*, cùm prædicatum conclusionis contingenter convenit subjecto, eò, quòd aliquod extremorum contingenter connectatur medio termi-

no. *Aut Impossibilis*, quando unum extremum conclusionis repugnat medio, atq; impossibile est, ut unum coveniat alteri, eò, quòd impossibile sit unum convenire unitertio.

Quid est Syllogismi Forma?

31. **E***St certa dispositio tam terminorum ex quibus constituuntur Propositiones, præsertim medii termini combinatio cum extremis, in prædicando & subjiciendo.* Quæ dispositio seu combinatio communiter vocatur figura; *quam etiam propositionum*, quæ attenditur penes universalitatem & particularitatem, affirmationem & negationem. Et hæc dispositio propositionum solet appellari *Modus Syllogisticus*, de quorum utroq; sequenti titulo tractabitur.

TITULUS QUARTUS
De figuris & Modis Syllogismorum.

PUNCTUM PRIMUM
De Figuris Syllogismorum.

Quot sunt Figuræ Syllogismorum?

32. **A**Ristoteles tres duntaxat Syllogismorum Figuras adinvenit; à cujus sententia non esse recedendum censeo; nam in illius tribus Figuris prima, secunda & tertia, omnis discursus Logicus absolvitur.

33. *Prima Figura est*, in qua medius terminus in majore tenet locum ſubjecti, in minore autem locum prædicati hoc *vg.* modô: nullũ honeſtum, eſt vituperandum. Sed omnis ſcientia eſt quid honeſtum. ergo nulla ſcientia eſt vituperanda. In quo Syllogiſmo medius terminus *ly honeſtum* in majori Propoſitione pro ſubjecto, in minori pro prædicato vides poni

Secunda Figura eſt, in qua medius terminus, in utraq; Præmiſſarum ponitur pro prædicato, *vg.* hoc modô: nullus juſtus peccat in DEUM. Sed aliquis homo peccat in DEUM. ergo aliquis homo non eſt juſtus.

Tertia Figura eſt, in qua medium in Præmiſſis ita collocatur, ut in utraq; locum ſubjecti obtineat, ùt patet ex hoc exemplo: omnis homo in agendo circumſpectus, eſt prudens. Sed omnis homo in agendo circumſpectus, eſt laudandus. ergo aliquis laudandus homo, eſt prudens.

34. His tribus Ariſtotelis Figuris Galenus quartam ſuperaddidit, juxta quam medius terminus, in majori pro prædicato, in minori pro ſubjecto uſurpatur. Sed hæc Figura ſolùm eſt inverſio primæ, inquantum major ponitur locò minoris. Cujus figuræ uſus, licetſi apud nonnullos ſit frequens, non meretur tamen inter figuras annumerari. Atq; ideo hac rejectâ, juxta mentem Veterum Philoſophorum & Ariſtotelis ſententiam, tres duntaxat admittimus, jam explicatas & exemplificatas, quas ſequentes verſiculi exprimunt.

Prima

Prima priùs subicit medium, pòst prædicat ipsum;
Altera bis dicit, tertia bis subicit.

PUNCTUM SECUNDUM
De Modis Syllogismorum.
Quid est Modus Syllogisticus?

35. *EST apta Propositionum in Syllogismo, secundùm universalitatem & particularitatem, secundùm affirmationem & negationem dispositio.* Nam Propositiones aliæ sunt universales, aliæ particulares, aliæ affirmativæ aliiæ negativæ. Et hæ exprimũtur quatuor vocalibus A. E. I. O. quæ in suis modis reperiuntur, & annotantur. *A.* exprimit Propositionem universalem affirmativam, *E.* universalem negativam, *I.* particularem affirmativam, *O.* particularem negativam, juxta illos versus.

Asserit *A*, negat *E*, verùm generaliter ambæ,
Asserit *I*, negat *O*, sed particulariter ambæ.

COmmuniter autem hi Modi Syllogismorum, admissâ Aristotelis sententiâ, de tribus figuris superiùs adducta, assignantur novemdecem satis ingeniosè his versibûs expressi.

E
bArbArA, cElArEnt, dArII, fErIO, bArAlJpton.
J E A J
cElAntEs, dAbJtJs, fApEsmO, frJsEsOmorum,
O J E A E
cEsArE, cAmEstrEs, fEstJnO, bArOcO, dArAptJs,
A E O A J
fElAptOn, dIsAmJs, dAtJsJ, bOcArdO, fErJsOn.

Quæ

Quæ est explicatio harum vocum?

36. ISTorum versiculorum voces sunt tantùm trisyllabæ, exceptîs; bArAlIpton, & frisEsOmorum, quibus metri causâ adjunguntur finales syllabæ, sed nihil denotant: ideo autem sunt trisyllabæ, ut correspondeant tribus Syllogismi prositionibus, prima syllaba *majori*, secunda minori, tertia conclusioni. Prima itaq; singularum vocum syllaba pro ratione suæ vocalis, denotat primam Syllogismi propositionem in tali modo constructi debere fieri, aut universalem aut particularem, aut affirmativam, aut negativam; secunda syllaba & tertia idem denotat pro secunda & tertia Syllogismi propositione. Atq; ideo vocales illæ majori charactere annotatæ, quantitatem & qualitatem propositionum inSyllogismo construendo designant, consonantes autem quædam in iisdemmet modis repertæ pertinent ad reductionem Syllogismorum imperfectorum ad perfectos, sicut ex infrà dicendis patebit. Vocales quoq; supra imperfectos modos appositæ denotant ad quem perfectum modum reducendi sunt Syllogismi per impossibile.

Qui & quid sunt modi perfecti & imperfecti?

37. EX adductis novemdecem modis, primi novem, sunt prmæ figuræ, sed ex illis

primi

primi tanùm quatuor, *dicnntur perfecti* eò, quód ad suam perfectionem non indigent aliquo præsidio externo; nam ad illos reliqui omnes reducuntur, in quacunq; sint formati figura: in his enim tantùm quatuor primis modis bonitas consequentiæ clarissimè elucet, adeò, ut ad evidentiorem modum reduci non indigeant. Reliqui omnes quindecem, *imperfecti vocantur* ideò, quòd in illis non ita clarè bonitas consequentiæ innotescit, neq; habent evidentem conclusionis illationem, ac propterea opus est adhibere unum vel plura, ut ad evidentiorem modum reducantur, & appareant evidenter concludentes. Sequentes quatuor voces incipiendo à cEsArE, designant modos secundæ figuræ, reliqui sex incipiendo à dArAptI, denotant modos tertiæ figuræ.

Qui sunt & quomodo differunt modi directi ab indirectis?

38, PRæterea ex his novemdecem modis, quatuordecem vocantur *directi*, quia in illis servatur ordo veluti naturalis terminorum & propositionum; dum nempe in conclusione cujuscunq; horum modorum, majus extremum ponitur pro prædicato, minus extremum pro subjecto, sicut colligitur ex allatis supra Syllogismorum exemplis & ex adferendis constabit: Quinq: autem primæ figuræ. nempe bArAlIp, cElAntEs, dAbItIs, fApEsmO, frIsesOm, *di-*

cuntur indirecti propter oppositam rationem, quia in illorum conclusione, ille ordo naturalis terminorum & Propositionum pervertitur, dum majus extremum in ea ponitur pro subjecto, minus autem extremum pro prædicato. Ordo quippe naturalis terminorum in hoc situs est, ut universaliores prædicentur de inferioribus, & formæ de subjectis, quod in prædictis quinq; modis non observatur: sicut patet ex hoc exemplo in *bArAlIp*. Omne rationale, est risibile. Sed omnis homo, est rationalis. Ergo aliquod risibile, est homo.

TITULUS QUINTUS.

De principiis extrinsecis Syllogismorum.

Quotuplicia sunt principia extrinseca Syllogismorum?

39. PRæter principia intrinseca Syllogismi, materiam nempè & formam, dantur quædam extrinseca, tam in communi omnium in quacunq; figura factorum, quàm in particulari cujuscunq; figuræ, quæ ita concurrunt ad perfectionem Syllogismorum, ut in illis non includantur, sicut includitur materia & forma. Et hæc principia externa, quædam dicuntur directiva, quædam perfectiva, de quibus singulis per puncta sequentia agendum restat.

PUNCTUM

PUNCTUM PRIMUM.

De Principiis Syllogiſmi Extrinſecis directivis.

Quæ ſunt principia intrinſeca Syllogiſmorum?

40. PRincipia directiva Syllogiſmorum, per quæ fit probatio Syllogiſtici artificij, alia dantur pro Syllogiſmis affirmativis, alia pro negativis. *Principia directiva pro Syllogiſmis affirmativis*, per quæ bonitas eorum probatur, hæc duo ſunt: primum, *dici de omni*: ſecundum, *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*. *1mum* principium vocatur *Logicum*; ſecundum *Metaphyſicum*. *Similiter principia directiva* pro Syllogiſmis negativis, per quæ bonitas eorum probatur, ſunt duo: *1mum, dici de nullo*, quod vocatur logicum. *2dum: quæ non ſunt eadem uni tertio, non ſunt eadem inter ſe*: & hoc vocatur metaphyſicum.

Quomodo hoc principium dici de omni exponitur?

41. SIc: quidquid verè affirmatur de communi termino diſtributivè ſumpto, idem verè affirmatur de quolibet contento ſub illo. Sicut, quia de animali univerſaliter ac diſtributivè ſumpto affirmatur, quòd ſit ſenſitivum, idem quoq; affirmatur de quolibet contento ſub ani-

mali *vg.* omne animal est sensitivum. sed omnis equus est animal. Ergo omnis equus, est sensitivus. Cujus Syllogismi bonitas artificii, ex hoc patet, quia de animali universaliter ac distributivè accepto, verè affirmatur, quòd sit sensitivum, ideo hoc ipsum verè debet affirmari de equo, qui continetur sub animali.

Quomodo exponitur ly: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se?

42. SIc: ideo extrema in conclusione Syllogismi, sunt eadem inter se, quia cum uno tertio, scilicet cum medio termino in præmissis unita, idem fuerunt. Quod totum ex immediatè allato Syllogismo constat, cujus bonitas sic per illud probatur; *equus & sensitivum*, quæ sunt extrema conclusionis, ideo identificantur inter se in conclusione dati Syllogismi, quia eadem extrema in utraq; præmissa, cum uno tertio, hoc est cum medio, quod est *animal*, fuerunt identificata: nam in majori *sensitivum*, in minori verò *equus*, identificata sunt cum uno tertio, id est cum animali, quod in hoc Syllogismo est medium.

Quomodo exponitur, dici de nullo?

SIc: quidquid verè negatur de omni, nempe de termino communi distributivè sumpto, negatur quoq; de omni contento sub illo. Sicut, quia verè negatur de bruto, tanquam de

termino

termino communi distributivè sumpto, risibilitas, ideo debet verè negari & de leone *vg:* nullum brutum est risibile. Sed omnis leo est brutum. ergo nullus leo, est risibilis. Per quod principium bonitas Syllogismi ex eo probatur, quia universaliter de bruto distributivè sumpto, verè negatur risibile, ideoq; hoc ipsum vetè negatur & de leone, qui continetur sub bruto.

Quomodo exponitur: quæ non sunt eadem uni tertio, non sunt eadem inter se?

43. SIc; ideo extrema conclusionis non sunt idem inter se, quia in præmissis non fuerunt idem cum uno tertio, nempè medio. Quemadmodum in allato Syllogismo deducitur, ideo *Leo & risibile* conclusionis extrema, non sunt inter se identificata, sed sibi repugnant, quia neq; in præmissis, cum uno tertio, hoc est cum medio, quod est *brutum*, fuerunt identificata. Ac proinde quidquid in præmissis Syllogismi cujuscunq figuræ affirmatum fuit de omni, necessariò debet affirmari & in consequenti de aliquo contento sub illo omni: & quidquid in præmissis negatum est de omni, etiam in conclusione debet negari de aliquo sub eodem omni contento. Similiter in omni Syllogismo, ideo extrema conclusionis affirmantur vel negantur de se, quia in præmissis cum uno tertio,

nempe cum medio affirmabantur esse idem, vel negabantur. Ideoq: qui concessit aliqua extrema conclusionis esse idem cum uno tertio in præmissis; non debet negare ea esse idem in conclusione; vel si ibidem negavit, & hic negare debet.

Habentnè hæc principia locum in Divinissimo TRINITATIS *mysterio?*

44. MInimè: quapropter in isto Syllogismo: Pater Divinus, est DEUS. Sed Filius Divinus, est DEUS. ergo Filius Divinus, est Pater Divinus; neganda est consequentia: quamvis enim Filius Divinus identificatur cum DEO adæquatè intensivè, non tamen adæquatè extensivè: nam Divinitas per realem identitatem extenditur ad omnes tres Personas, cùm tamen Filius per realem identitatem non extenditur ad Patrem & Spiritum Sanctum. Hinc quamvis Pater verè affirmatur de Divinitate; tamen Filius, qui etiam verè affirmatur de Divinitate, non potest affirmari de Patre, sicut affirmatur in dati Syllogismi conclusione.

PUNCTUM SECUNDUM

De communibus Syllogismorum Regulis.

45. EX prædictis principiis, tanquam ex fontibus, quædam communes omnibus Syllogismis regulæ promanant. Quæ

Quæ sunt regulæ Syllogismorum in communi?

IStæ: *Regula prima*: In omni syllogismo saltē una Præmissarum, si non utraq; debet esse affirmativa; nam ex puris negativis, nihil sequitur. Et ideo in syllogismis affirmativè concludentibus, utraq; præmissa debet esse affirmativa, in concludentibus autem negativè, una præmissa debet esse negativa, altera affirmativa, *vg*. omnis captivans intellectum suum in obsequium fidei, bene credit. Sed Petrus captivat intellectum suum in obsequium fidei. Ergo bene credit. *Item* omnis alienum rapiens, non est justus. sed Judas alienum rapit. ergo Judas, non est justus. Ubi vides in primo Syllogismo affirmativè concludente, utramq; præmissam esse affirmativam, in secundo autem negativè concludente, unam esse affirmativam, alteram negativam. Arguens autem ex puris negativis, nihil concludit *vg*. nullus homo est lapis. sed nullus adamas, est homo. ergo nullus adamas, est lapis. Quodsi una præmissarum fuerit negativa, etiam conclusio debet esse negativa: conclusio enim semper sequitur debiliorem partem, debilior autem est negatio affirmatione, particularitas universalitate.

46. Scias *imò*: nihil obesse huic regulæ, si Syllogismus terminîs infinitantibus constat, in his enim rectè colligitur conclusio *vg*. qui est non lapis, est non marmor. sed hoc lignum est

non lapis. Ergo hoc lignum, est non marmor.

47. Scias 2dò, neq; sequens Syllogismus destruit datam regulam: omnis homo alieni non appetens, non est avarus. sed aliquis homo non est alieni appetens. Ergo aliquis homo non est avarus. In quo Syllogismo non debet negari consequentia concessis præmissis, quāvis utraq; sit negativa: alij enim negant hunc Syllogismum, esse propriè talem, eò, quòd non innitatur illis principiis: *dici de omni*, &, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. Insuper in dato Syllogismo, est una Propositio affirmativa, si ponatur ita, sicut poni debet, siquidem principalis copula, non est ibi negativa: nam hæc propositio minor: *sed aliquis homo, non est alieni appetens;* sic debet proponi & intelligi: *sed aliquis homo, est talis virtutis, quòd non sit alieni appetens.* In qua propositione principalis copula non est negativa, cum per eam affirmatur de aliquo homine *ly, est talis virtutis*.

48. *Regula secunda*, In quolibet Syllogismo si non utraq; saltem una præmissarum sit universalis, quodsi una est universalis, altera particularis, conclusio inferenda erit particularis: nam ex puris particularibus, nihil potest sequi, nisi sit Syllogismus expositorius, in quo ex singularibus, indefinitè potest aliquid concludi, quamvis non firmiter: quia in tali Syllogismo medium, est terminus singularis, in illo autem medius terminus, debet esse communis. Et ideo non

valet:

valet: comedens volat. ſed bos eſt comedens. ergo bos volat. Hic autem valet: Petrus eſt aliqua Subſtantia. Sed aliquod animal, eſt Petrus. Ergo aliquod animal, eſt ſubſtantia.

49. *Regula tertia*: In quolibet Syllogiſmo tres tantùm debent eſſe termini, majus extremum, minus extremum, & medium: ideoq; non debent eſſe plures, neq; implicitè, neq; explicitè, quales termini implicitè plura ſignificantes, dicuntur termini æquivoci: neq; debent eſſe termini quomodocunq; plura ſignificantes, ſi in utraq; ſignificatione in argumento accipiantur: ſic enim æquivalerent pluribus, quàm tribus terminis. Intellige hanc regulam de terminis principalibus, nam plures minus præcipui Syllogiſmum non vitiant.

50. *Regula 4ta*: Medius terminus nunquam ingreditur concluſionem, qui ſaltem in una præmiſſarum debet ſumi diſtributivè, ſeu univerſaliter: nam, ùt dictum in Regula ſecunda; ex particularibus & indiſtributis, nihil ſequitur. Intellige regulam de medio termino communi: nam de ſingulari alia eſt ratio: hic enim, cùm ſit perfectè unus, poteſt eſſe ex ſe medium in Syllogiſmo. Terminos quoq; collectivos, quamvis ſint communes, non eſt neceſſe diſtribui in præmiſſis: quia æquivalent termino ſingulari, adeoq; conſtituunt Syllogiſmum æquivalenter expoſitorium; *vg.* omnia Sacramenta ſunt ſeptem. ſed Baptiſmus, confirmatio *&c*: ſunt Sa-

cramenta. ergo sunt septem. Ubi ly *Sacramenta* non distribuitur, quia collectivè supporit, & æquivalet termino, perfectè singulari.

PUNCTUM TERTIUM.

De specialibus Syllogismorum Regulis.

PRæter communes Syllogismorum regulas cuilibet figuræ servientes, etiam quælibet divisim figura habet suam regulam.

Quæ sunt Regulæ speciales Syllogismorum?

§1. HÆ: *Regula primæ figuræ* hæc est, ut Syllogismus in modis directis formatus, majorem habeat universalem, aut affirmativam, aut negativam, minorem affirmativam, exceptis indirectis modîs fApEsmO & frIsEsOm, in quibus minor est negativa.

52. *Regula 2dæ figuræ:* in Syllogismis istius figuræ major sit universalis, aut affirmativa, aut negativa, & una præmissarum sit negativa, sicut & conclusio juxta communem legem, sub prima regula cummuni annotatam.

53. *Regula tertiæ figuræ;* In illius Syllogismis minor propositio semper debet esse affirmans, sive universaliter, sive particulariter, conclusio autem semper particularis, aut affirmativa, aut negativa.

Dabilisne

Dabilesne sunt Syllogismi boni, qui peccent contra aliquam, vel aliquas datarum figurarum?

54. OMnes prædictæ regulæ, tam communes, quàm speciales, dum observantur, reddunt Syllogismum bonum in ratione formæ; reperibiles tamen sunt aliqui, qui bene concludunt ratione materiæ, quamvis contra aliquam harum regularum communium, vel specialium peccant *vg*. aliquisPhilosophus, est homo. sed aliquis Orator, est homo. Ergo aliquis Orator, est Philosophus Is Syllogismus peccat contra secundam regulam communem, quia in illo nulla præmissarum est universalis, quod illa docetRegula, & tamen bene concludit ratione materiæ. Ille quoq;Syllogismus *tertiæ figuræ:* omnis homo, est vivens. sed omnis homo, est animal. ergo omne animal, est vivens; bene concludit ratione materiæ; sed tamen peccat in forma, contra specialem ejusdem figuræ regulam, in qua conclusio debet esse specialis, quod in hoc Syllogismo non servarur.

PUNCTUM QUARTUM.

De Regulis Syllogismorum Expositorii, Hypothetici, & Modalis.

Quæ

Quæ datur Regula Syllogiſmorum Expoſitoriorum?

55. A principiis ſuprà *Titulo 5. punct: 1.* allatis, probatur veritas Syllogiſmorum categoricorum in omnibus figuris, qui ſunt de medio communi & de extremis communibus, ùt facilè colligitur ex ibidem adductis exemplis: Syllogiſmi autem expoſitorii, qui ſunt de medio ſingulari, & de præmiſſis ſingularibus, tali principio regulantur: *quidquid dicitur de uno ex identificatis, id ipſum dicitur de altero ex identificatis.* Tales autem Syllogiſmi Expoſitorii, non dicuntur ſub rigore Dialectico in hac, vel illa figura formati, eò, quòd quibuſdam regulis deficiunt; Sicut Propoſitiones ſingulares ſecum in qualitate pugnantes, cùm debeant etiã in quantitate pugnare, ſub eodem rigore Dialectico, non ſunt verè contradictoriæ, quamvis etiam hæ dicuntur de lege contradictoriæ; ita illi Syllogiſmi expoſitorii, de lege ſunt in prima, vel ſecunda, vel tertia figura conſtructi; eò, quòd præcipuam talium figurarum legem ſervant: nempè, quòd in illis medius terminus ſingularis diſponitur ſecudùm leges prædicationis, aut ſubjectionis Figurarum primæ, ſecundæ, tertiæ, quod eſt pincipalis lex figurarum; pariter ſicut & illæ propoſitiones contradictoriæ ſingulares, unum de eodem affirmant & negant, quod eſt præcipua lex contradictoriarum.

Quæ dan-

Quæ dantur Regulæ Syllogismorum Hypotheticorum?

56. HI Syllogismi, absolutorum plerasq; non servant regulas: nam Hypotheticus Syllogismus rectè concludit, quamvis constet quatuor terminis: ùt iste: si Adam disputat, didicit disputare. Sed Adam disputat. Ergo didicit disputare. *Item* Syllogismi tales ex puris negativis videntur bene concludere, *vg.* si Adam non disputat, Abel ipsi *vg.* non resp ndet. Sed Adam non disputat. Ergo ipsi Abel non respondet. *Item* unus idemq; terminus pluries potest repeti in Syllogismo Hypothetico, quàm bis, quod fieri non debet in absoluto Syllogismo, ùt patet in isto: Si Petrus disputat cum Paulo, Petrus loquitur. Sed Petrus disputat cum Paulo. ergo Petrus loquitur.

57. Syllogismi itaq; Hypothetici his duobus regulantur principiîs *1mum: quidquid sub aliqua conditione affirmatur, vel negatur de omni, seu de uno ex identificatis; id ipsum sub eadem conditione affirmatur, vel negatur de aliquo contento sub omni, seu de altero ex identificatis.* Quod valet præsertim in illis Syllogismis, qui duabus saltem hypotheticis propositionib9, majore nempe & minore constant. *2dum principium hoc: si datur vera connexio, seu conjunctio conditionis cum conditionato, inter cōditionatum & conditionem propositionis Hypotheticæ, supposita tali conjunctione, bene agitur à positione seu depuratione conditionis*

ditionis, ad positionem absolutam conditionati. *Item* à negatione depuratæ conditionis, ad negationem, seu ad non esse absolutum conditionati. *Item* ex negatione existentiæ absolutæ conditionati, bene infertur negatio depuratæ conditionis. *Deniq;* ex veritate propositionis conditionalis, & affirmatione absoluta conditionati, infertur absoluta conditionis positio; quod totum patet ex sequentibus. *1mò.* Si Petrus disputat, Petrus loquitur. Sed Petrus disputat. Ergo Petrus loquitur. *2dò* Si Petrus non disputat. Paulus illi non respondet. Sed Petrus non disputat. Ergo illi Paulus non respondet. *3tiò.* Si Petrus disputat, Paulus respondet. Sed Paulus non respondet. Ergo neq; Petrus disputat. *4tò.* Si Petrus disputat, Paulus respondet. Sed Paulus respondet. Ergo Petrus disputat. An autem ejusmodi Syllogismi Hypothetici sint tales sub rigore Dialectico, hìc non decernitur, interea certum est, eos bene concludere.

Quæ sunt Regulæ Syllogismorum Modalium?

58. HI, quamvis regulantur regulîs Syllogismorum de inesse communibus, admittunt tamen quasdam sibi proprias, præsertim primæ figuræ servientes (nam in secunda & tertia tales Syllogîsmi usum frequentem non habent, quodsi tamen daretur usus harum quoq; figurarum, poterunt reduci ad modos perfectos juxta leges modorum primæ figuræ) 159.

59. *1ma Regula:* quando Syllogismi modalis major habet modum unversalem, *necesse est*, quamvis minor fuerit de modo: *contingens est;* Conclusio tamen erit de modo, necesse est: & quando major fuerit de modo, *contingens est*, etiamsi minor fuerit de modo, *necesse est*; conclusio tamen erit de modo *contingens est*, vg. necesse est id, quod currit, esse vivens. Sed contingens est, quòd hic equus currat. Ergo necesse est, hunc equum esse vivens. *Item* contingens est, nullum hominem disputare. Sed necesse est Petrum esse hominem. Ergo contingens est Petrum non disputare. In quibus Syllogismis qualiter prædicatum majoris, convenit cum medio termino, qui ponitur pro subjecto; taliter etiam convenit subjecto conclusionis: nam eo modo prædicatum consequentis debet inesse, vel non nesse suo subjecto, nempè vel necessariò vel contingenter, quomodo idem prædicatum in majore inest, vel non inest medio termino: qui in prima figura, tenet ibi locum subjecti: subjectum enim consequentis, aut continetur sub medio, tanquam inferius sub superiori, aut est idem cum eodem medio termino.

60. *Regula 2da:* in prima FiguraSyllogismi modales in modis directis confecti, habentes majorem de modo, *impossibile est*, debent quoq; conclusionem habere, de eodem modo: *impossibile est*, etiamsi minor fuerit de modo, *possibile est*, *aut contingens est*, *aut necesse est*. vg. impossibile est, eum qui disputat,

esse

esse bovem. Sed possibile est Petrum disputare. Ergo impossibile est Petrum, esse bovem.

61. *Regula 3tia:* in qualibet modorum variatione, si Syllogismi de inesse ex vi formæ, ex Syllogismis modalibus facti, non concludunt, neq; Syllogismi modales concludunt, etiamsi ex vi & ratione materiæ, nihil falsum aliquando concluderent *vg.* possibile est equum hinnire. sed impossibile est leonem, esse equum. Ergo impossibile est, leonem hinnire *vel* necesse est omnem hominem esse animal. Sed impossibile est, brutum esse hominem. ergo impossibile est, brutum esse animal. Neuter horum Syllogismorum rectè concludit, quia neuter regulam servat. Si etenim ex datis Syllogismis modalibus fiant Syllogismi de inesse, non concludunt: *non imꝰ* vg. aliquis equꝰ hinnit. sed nullus leo est equus. ergo nullus leo hinnit. *Non etiam secundus*, vg. omnis homo, est animal. Sed nullum brutum, est homo. ergo nullum brutum, est animal. Licètsi autem *imus* Syllogismus modalis in materia nihil falsum infert, sicut secundus falsum concludit; uterq; tamen vi formæ malè concludit; quia Syllogismi de inesse ex ipsis facti, vi formæ, etiam malè concludunt, ùt patet. Ideo autem Syllogismi de inesse, facti ex modalibus non concludunt: quia videntur esse facti in prima Aristotelis figura, revera tamen ad nullum modum directum ejusdem primæ figuræ pertinent, ùt facilè intelligitur.

An ad

An ad quamlibet propositionem probandam possit assumi Syllogismus in quacunq; figura & modo?

62 R. Negativè, sed seriò advertendum est, qualis sit illa propositio, & quanta, quæ ad probandum contingit, illa quippe locum conclusionis occupare debet. Si igitur est universalis, aut particularis, si affirmans, aut negans, ex hoc devenitur, in qua figura, & in quo modo Syllogismus construendus sit ad probandum illam propositionem. *Si igitur venit probanda propositio universalis affirmativa*, Syllogismus construetur in prima figura in *bArbArA*; *si universalis negativa*, in *cElArEnt*: *si particularis affirmativa*, in *dArII*: *si particularis negativa*, in *fErIO*. In modis autem indirectis primæ figuræ, nunquam conclusio dabilis est universalis affirmativa, quamvis possit esse universalis negativa, particularis affirmativa, vel negativa; *tum* quia pro subjecto conclusionis inferendæ debet poni prædicatum majoris, jam autem pro prædicato ejusdem subjectum minoris, in quibus differt constructio Syllogismorum in modis primæ figuræ directis, à Syllogismis ejusdem figuræ in modis indirectis. *In 2da autem figura* illi tantùm fiunt Syllogismi, qui constant conclusionibûs negativis, tam universalibus, quàm particularibus. *Deniq; in 3tia figura* illi duntaxat adhibentur

hibentur Syllogiſmi, qui conſtant concluſionibûs particularibus affirmativis, vel negativis. Quòdſi talis propoſitio venerit probanda, quæ per plures modos plurium figurarum poſſit probari, id relinquitur arbitrio diſputantis, per quemcunq; modum eandem probare.

TITULUS SEXTUS.
De principiis perfectivis Syllogiſmorum.

Cur ſic vocantur principia perfectiva Syllogiſmorum?

63. IDeo ſic vocantur, quòd Syllogiſmos imperfectos perficiant, ſeu reddant perfectos. Cùm enim ex novemdecem modis ſuprà allatis, ſoli quatuor primi, primæ figuræ, nempe bArbArA, cElarEnt, dArII, fEriO, *vocantur perfecti*, eò; quòd ita clarè concludant, ut cuilibet illationis veritas & neceſſitas conſequentiæ appareat: reliqui autem quindecem, quamvis legitimè concludunt, patiuntur tamen quandam in illatione conſequentiæ obſcuritatem; ideo *appellantur imperfecti*, qui perficiuntur, per reductionem eorum ad illos quatuor perfectos primæ figuræ, de qua reductione in ſequentibus Punctis tractabitur.

PUN-

PUNCTUM PRIMUM

De Reductione in communi.

Quid est Reductio Syllogismi?

64. *EST Syllogismi imperfecti ad perfectum revocatio, idq; per alicujus, vel aliquarum in Syllogismo propositionum conversionem, transpositionem, aut assumptionem* *Imperfectus* autem Syllogismus hic vocatur non ideo, quòd sit vitiosus, sed quia non satis evidenter concludit, sicut concludit perfectus.

Ad quem modum revocandus est aliquis Syllogismus imperfectus?

65. FAcilè id cognoscitur ex initialibus literis modorum imperfectorum. Qui enim ex imperfectis modis habet initialem literam *B.* ùt est *bArAlIpton* ille reducendus est ad *bArbArA*; qui autem eandem initialem literam habet. *C.* ad *cElArEnt*; qui verò *D.* ad *dArII*; qui tandem *F.* ad *fErIO*; id tamen non servatur in reductione ad impossibile, & ordinariè in *bArOcO*, & *bOcArdO*, qui semper ad impossibile debent reduci, de qua reductione singulari Puncto agetur.

Quid consonantes S P M C in singulis modis imperfectis indicant?

66. INdicant, quæ propositiones convertendæ sunt, & quali conversione, quæ transpo-

nendæ, qui deniq; Syllogismi nequeunt reduci ostensivè. Ac proindè litera *S.* denotat simplicem conversioné illius propositionis, quā præcedens vocalis significat. *P.* reperta post vocalem, denotat propositionem tali vocali immediatè antecedenti correspondentem esse convertendam per accidens. *M.* designat quòd præmissæ modi imperfecti, cujus peragitur reductio, debeant transponi, major in locum minoris, minor in locum majoris. Si verò in dictione expressiva modi imperfecti post vocalem, alicui propositioni correspondentem, sequantur duæ consonantes, una conversionem, altera indicans transpositionem, tunc illa propositio debet priùs converti, deinde convertens propositio transponenda est, vel cum altera præmissa, vel cum ejus convertente, si illa debuit converti, quod contingit in *fApEsmO*, in qua dictione, quia post vocalem *E*, secundæ syllabæ correspondentem, minori propositioni Syllogismi imperfecti, ponuntur duæ consonantes *S.* & *M*; ideo hæc propositio ratione primæ literæ *S.* debet converti simpliciter, ratione verò secundæ literæ *M.* debet transponi in locum majoris, jam per accidens conversæ, ratione literæ *P.* in prima Syllaba repertæ, post literam *A*, deniq; *C*, non incipiens modum aliquem, sed in medio vocis positum, sicut invenitur in *bArOcO*, & *bOcArdO*, denotat Syllogismum in his modis con-

structum, reducendum esse ad impossibile, neq; tales Syllogismi in his duobus modis reducibiles sunt ostensivè, ad *bArbArA*. Quæ tota doctrina continetur his versibus.

S. vult simpliciter verti, *P.* verò per accid;
M. vult transponi, *C.* per impossibie duci.

COlligitur itaq; ex dictis duplicem esse Syllogismorum Reductionem, unam ostensivam, alteram per impossibile, quibus additur tertia per expositioně, de quibus singulatim.

PUNCTUM SECUNDUM
De Reductione Ostensiva.
Quid est Reductio Ostensiva?

67. REductio *Ostensiva* vocatur illa, per quam in Syllogismo perfecto, ad quem fit revocatio imperfecti, eadem infertur conclusio, quæ inferebatur in imperfecto, retento eodem medio, & solum facta aliqua conversione aut transpositione, vel etiam utroq;. Ad quem autem modum ex perfectis, imperfectus reduci debeat, & quid servandum sit in actuli reductione hujusmodi, dictum suprà, Puncto primo.

EXEMPLA REDUCTIONIS OSTENSIVÆ.
IN PRIMA FIGURA.

68. Syllogismi imperfecti reducibiles
bA Omnis servans mandata Dei, diligit DEUM.

rA Omnis laude dignus, eſt ſervans mandata Dei.
IIp *Ergo* aliquis diligens Deum, eſt laude dignus
cE Nullum vitium eſt amandum.
lAn Sed omne peccatum, eſt vitium.
tEs. Ergo nullum amandum, eſt peccatum.

Syllogiſmi ad modos pefectos reducti.

bAr Omnis ſervans mandata Dei, diligit Deum
bA Omnis laude dignus, eſt ſervans MandataDei.
rA Ergo omnis laude dignus, diligit DEUM.
cE nullum vitium eſt amandum.
lA Sed omne peccatum, eſt vitium.
rEnt. Ergo nullum peccatum, eſt amandum.

Hoc itaq; modo reductio oſtenſiva reliquorum modorum primæ Figuræ indirectorum inſtitui debet & peragi

EXEMPLUM REDUCTIONIS oſtenſivæ in ſecunda Figura.

69.
cEs Nullus piger laudem meruit.
A Sed omnis virtuoſus laudem meruit.
rE. Ergo nullus virtuoſus, eſt piger.
cE Nullus, qui laudem meruit, eſt piger.
lA Sed omnis virtuoſus, laudem meruit.
rEnt Ergo nullus virtuoſus, eſt piger.

Similiter & alii hujus Figuræ Syllogiſmi erunt reducendi.

EXEM-

EXEMPLUM EJUSDEM

Reductionis in tertia Figura.

70.
fE. Nullus raptor, est justus.
lAp Sed omnis raptor, est homo.
tOn. Ergo aliquis homo, non est justus.
fE Nullus raptor, est justus.
rI Sed aliquis homo, est raptor.
O. Ergo aliquis homo, non est justus.

Simili modo reliqui Syllogismi in cæteris modis istius Figuræ sunt Reducendi.

71. USus istius Reductionis est hic; si nempe aliquis vel ex protervia, vel ex ignorantia negaret consequentiam in Syllogismo imperfecto cujuscunq; Figuræ; tunc talis negata conclusio probatur per reductionem Syllogismi imperfecti, ad Syllogismum perfectum, qui, quoniam clarè & evidenter concludit, nunquam in eo debet negari conclusio, nisi fortè ab indocto, vel nimis petulante.

PUNCTUM TERTIUM.

De Reductione ad impossibile.

Quid est hæc Reductio?

72. *EST, in qua contradictoria conclusionis negatæ conjungitur cum una ex præmissis concessis, & infertur conclusio, vel mediatè vel immediatè contradi-*

ctoria

ctoria alterius præmissæ. Inventa est hæc reductio propter proterve negantes consequentiam in Syllogismo imperfecto, habetq; locum in *bArOcO*, secundæ figuræ, & *bOcArdO*, tertiæ figuræ. Nihilominus etiam alii imperfectorum modorum Syllogismi taliter reduci possunt. *Vocatur autem hæc Reductio ad impossibile*, ideo; quia ille, qui bonam negavit consequentiam, per hujusmodi reductionem ad hoc incommodum deducitur, ut vel suum teneatur revocare verbum, vel fateri duas contradictorias esse simul veras, aut simul falsas, vel saltem suas contrarias admittere efficaciter urgeatur. Quomodo autem ista debeat absolvi reductio, sequens indicant versus:

Major fit minor, ut sit contradictio major;
Excipe *cElAntEs*, in quo convertitur ordo:
Servat majorem, variatq; secunda minorem:
Tertia majorem variat, servatq; minorem

73. HOc totum sic explicatur. Ante omnia debet negatæ conclusionis in Syllogismo imperfecto formari alia propositio contradictoria, quæ in prima figura ponetur loco majoris (si Syllogismus alicujus modi indirecti primæ figuræ reducitur ad modum perfectum) ipsa autem mojor concessa ponetur in locum minoris. Hic ordo tamen in Syllogismo per *cElAntEs* formato convertitur, in quo minor ponitur pro majore, & contradictoria negatæ conclusionis, ponitur pro minore, deinde infertur consequentia contradictoria, vel contraria alicui præmissæ, jam concessæ.

74. In

74. In ſecunda autem Figura Syllogiſmus ad impoſſibile reducendus hoc ſervare debet: contradictoria negatæ concluſionis ponenda erit pro minore, major autem nocesſa manebit, & infertur concluſio, út ſupra contradictoria vel contraria conceſſæ præmiſſæ alicujus,

75. In tertia deniq; figura id ſervabitur; ut contradictoria negatæ concluſionis ponatur pro majore, minor autem conceſſa ſervetur, & inferatur ſimiliter conſequentia contradictoria, vel contraria alicui præmiſſæ conceſſæ in reductione ad impoſſibile.

Ad quem modum reducendus eſt imperfectus Syllogiſmus? & qualis formanda concluſio an univerſalis vel particularis, affirmativa vel negativa?

76. Ad hoc cognoſcendum inventa ſunt hæc quatuor vocabula.

Neſciebatis odiebam, letare, Románis.

Vel iuxta alios hæ ſex dictiones in verſu ſequenti contentæ.

Phebifer, axis, obit, terras, ſpheramquè quotannis.

Quis eſt uſus ſive harum quatuor, ſive harũ ſex vocum?

Eundem omnino eſſe uſum. In quibus vocibus ſolæ conſiderantur vocales ſingularum ſyllabarum, quæ ſyllabæ cum ſuis vocalibus, tot in his vocibus, tam primis quatuor, quàm poſteribus ſex, inveniuntur. Quod ſunt mod

imperfecti,

imperfecti, nempè quindecem, per quos formati Syllogismi possunt reduci ad perfectos per impossibile.

Itaq; prima syllaba *Phe*, servit Syllogismo in *bArAlIpton*, qui propter literam *E*. reducendus est ad *cElArEnt*, debetq; habere conclusionem universalem negativam *Bi*, denotat Syllogismum in *cElAntEs*, propter literam *I*, ad *dArII* reducendum, debetq; constare conclusione particulari affirmativa. *Fer*, denotat Syllogismum in *dAbItIs*, reducendum ad *cElArEnt* propter *E*. Literam. *A*, denotat Syllogismum in *fApEsmO*, revocandum ad *bArbArA* propter *A*. *Xis* denotat Syllogismum in *frIsEsOmorum*, propter *I*, reducendum ad *dArII*. *O*. significat Syllogismum in *cEsArE*, reducendum ad *fErIO*, propter literam *O*. *Bit*, significat Syllogismum in *cAmEstrEs*, propter literam *I*, ad *dArII*, reducendum. *Ter*, denotat Syllogimum in *fEstInO*, ad *cElArEnt*, propter *E* revocandum. *Ras* significat in *bArOcO*, ad *bArbArA* reducendum, propter *A*. *Sphe* donot Syllogismum in *dArAptI*, revocandum ad *cElArEnt*, propter *E*. *Ram* significat Syllogismum in *fElAptOn*, reducendum ad *bArbArA*, propter *A*. *Què* designat Syllogismum in *dIsAmIs* reducendum ad *cElArEnt*, propter *E*. *Quo* designat Syllogismum in *dAtIsI*, rovocandum ad *fErIO*, propter *O*. *Tan*, designat Syllogisum in *bOcArdO*, reducendum ad *bArbArA*, propter *A*. *Nis*, deniq; designat Syllogismum

logiſmum in *fErIsOn*, reducendum propter literam *I*, ad *dArII*. Similes ſunt literæ in primis quatuor vocabulis, correſpondentes pariter ſingulis quindecem imperfectis modis, ùt conſideranti patet. *Quapropter memoriæ* cauſâ, ſupra ſingulos modos imperfectos, appoſita eſt vocalis, quæ docet, ad quem modum ex quatuor perfectis, debeat per impoſſibile reduci aliquis imperfectus Syllogiſmus. Si igitur datorum hìc verſuum ſervabuntur regulæ, ſingùlarum figurarum; & præterea, ſi diligenter perpendetur; ex ſingulis Syllabis dictarum vocum, ad quem modum perfectum reducendus eſt per impoſſibile, aliquis imperfectus Syllogiſmus, in quo injuſtè negata fuit concluſio, facilè hujuſmodi reductio perficietur. ùt patet ex exemplis.

Exempla Reductionis ad impoſſibile in prima Figura.

77. *imum in*

bA Omnis obſervans mandata Dei eſt virtuoſus.

rA Sed omnis cælô dignus, eſt obſervans mandata DEI.

lIp. Ergo aliquis virtuoſus, eſt cælô dignus.

Hic Syllogiſmus reducendus eſt ad *cElArEnt* hoc modô;

cE Nullus virtuoſus eſt cælô dignus.

Contradictoria negatæ concluſionis

lA Sed omnis ſervans mandata Dei, eſt virtuoſus.

Hæc minor ex majore priùs conceſſa.

rEnt.

rEnt. Ergo nullus servans mandata Dei, est cæ-
lô dignus.

Contraria concessæ jam minoris.

2dum in eodem.

bA. Omne rationale est risibile.
rA Sed omnis homo, est rationalis.
lIp. Ergo aliquod risibile, est homo.

Sic reducitur ad cElArEnt.

cE Nullum risibile est homo.

Contradictoria negatæ conclusionis.

lA Sed omne rationale, est risibile.

Minor jam concessa ex majore facta.

rEnt. Ergo nullum rationale, est homo.

En contraria minoris jam concessæ.

3tium in

cE. Nullum sensitivum, est lapis.
lAn. Sed omne animal, est sensitivum.
tEs. Ergo nullus lapis, est animal.

Hic Syllogismus reducendus est ad dARII, propter I. Sic converso ordine.

dA. Omne animal, est sensitivum.

Major hæc ex minore prioris Syllogismi.

rI. Sed aliquis lapis, est animal.

Contradictoria negatæ conclusionis

I. Ergo aliquis lapis, est sensitivus.

Contradictoria majoris jam concessæ.

Exempla Reductionis modorum 2dæ Figuræ.

78. *1mum in*

cEs. Nullus piger, meretur laudem.
A. Sed omnis virtuosus, laudem meretur.
rE. Ergo nullus virtuosus, est piger.

Sic reducitur propter O, ad fErIO.

fE. Nullus piger meretur laudem.
Major concessa præcedentis Syllogismi, servata.
rI. Sed aliquis virtuosus, est piger.
Contradictoria negatæ conclusionis.
O. Ergo aliquis virtuosus, non meretur laudem
Contradictoria concessæ minoris Præmissæ.

2dum in

cAm. Omnis raptor est alieni appetens.
Es. Sed nullus justus, est alieni appetens.
trEs. Ergo nullus justus, est raptor.

Syllogismus iste propter literam I. debet redduci ad dARII, sic:

dA. Omnis raptor, est alieni appetens.
Major imi Syllogismi concessa, servata.
rI. Sed aliquis justus, est raptor.
Contradictoria conclusionis negatæ.
I. Ergo aliquis justus, est alieni appetens.
Contradictoria præmissæ minoris concessæ.

Exempla Reductionis modorum 3tiæ Figuræ

79. imum in

dA. Omnis virtuosus, est laudandus.
rAp. Sed omnis virtuosus, est modestus.
tI. Ergo aliquis modestus, est laudandus

Propter

Propter literam E. reducitur ad cElArEnt hoc modo:

cE. Nullus modestus, est laudandus.

Contradictoria negatæ conclusionis.

lA. Sed omnis virtuosus, est modestus.

Minor concessa prius, manet.

rEnt. Ergo nullus virtuosus, est laudandus.

Contraria majoris concessæ.

2dum in

fE Nullum immortale, est homo.

lAp Sed omne immortale, est spiritus.

tOn. Ergo aliquis spiritus, non est homo.

Hic Syllogismus reducendus est propter A, ad bArbArA, hoc modo:

bAr. Omnis spiritus, est homo.

Contradictoria negatæ conclusionis.

bA. Sed omne immortale, est spiritus.

Minor concessa 1mi Syllogismi, manet.

rA. Ergo omne immortale, est homo.

Contraria præmissæ majoris concessæ.

3tium in

dIs Aliquod tendens deorsum, est lapis.

Am Sed omne tendens deorsum, est grave.

Is. Ergo aliquod grave, est lapis.

Reducitur ad cElArEnt hoc modo:

cE Nullum grave, est lapis.

Contradictoria negatæ conclusionis.

lA Sed

lA Sed omne tendens deorſum, eſt grave.
Minor conceſſa, manet.
rEnt. Ergo nullum tendens deorſum, eſt lapis.
Contradictoria majoris conceſſæ.

QUalis igitur in datis exemplis facta eſt reductio ad impoſſibile Syllogiſmorum imperfectorum, in quibuſdam modis ſingularum figurarum; talem in aliis reliquorum modorum in ſuis figuris, juxta præcepta & praxim porrectam, obſervandam eſſe.

PUNCTUM QUARTUM.

De Reductione expoſitoria.

Quid eſt Reductio expoſitoria?

80. HÆc, non tam reductio Syllogiſmi imperfecti, quā poti9 explicatio illi9 per exemplū, aut per inductionē, appellari debet, quâ tunc utimur, quando termino communi ſubſtituitur ſingularis, quæ in omni figura fieri poteſt; in tertia tamen aptiſſimè: terminus enim ſingularis rectiùs ſubiicitur, quàm prædicatur. Definitur autem reductio expoſitoria ſic: *eſt illa, in qua medium commune Syllogiſmi imperfecti, mutatur in ſingulare, ut probetur eſſe legitimus.* Quod deducitur in hoc Syllogiſmo in *3tia* figura formato in *fElAptOn*; nullus alieni appetens, eſt juſtus. Sed omnis alieni appetens, eſt homo. Ergo aliquis homo, non eſt juſtus. Expoſitoriè reductus eſt hic Syllogiſmus: Judas alieni appetens,

petens, non est justus. Sed Judas est alieni appetens. Ergo Judas non est justus. In quo Syllogismo expositorio, pro medio termino communi, *homo* substitutum est singulare *Judas* contentum sub homine, & hoc modo fieri debent Syllogismi expositorii.

TITULUS SEPTIMUS.

De inveniendo medio.

§1. MEdium, est unus de tribus terminis Syllogismi, bis repetitus in præmissis, vel subiecti, vel prædicati, aut utriusq; simul pro ratione figuræ, locum occupans: nihilq; aliud significat, quam rationem conclusionis, quæ probanda assumitur. Proindè solent assignari certæ Regulæ, per quas commodè inveniatur tale medium, seu ratio ad comprobandum aliquam propositionem.

Quale medium est inveniendum ad probandam propositionem universalem Affirmativam?

§2. SI *contingit probanda Propositio universalis affirmativa*, vg. omnis homo est risibilis. Tunc assumendum est medium probationis tale, quod est idem cum prædicato & subjecto, quale est respectu datæ propositionis: *rotianale*, quod idem est cum subjecto, nempe cum homine & cum prædicato ejusdem propositionis, nempe cum risibili. Atq; ita formatur Syllogismus in

bAr

bAr Omne rationale, est risibile.
bA Sed omnis homo, est rationalis.
rA Ergo omnis homo, est risibilis.

Quale medium inveniendum ad probandam Propositionem universalem Negativam?

83. *SI probanda venerit universalis propositio negativa* vg. hæc: nullus homo, est lapis. tunc assumendus erit medius terminus talis, qui uni extremo conveniat, alteri disconveniat, qualis terminus est respectu datæ propositionis animal, quod uni extremo, nimirum homini, convenit, alteri autem extremo, nimirum lapidi disconvenit. Sicq; formatur Syllogismus in

cE Nullum animal, est lapis.
lA Sed omnis homo, est animal.
rEnt. Ergo nullus homo, est lapis.

Qui sunt modi generales inveniendi medii?

84. SOlent proponi & alii modi inveniendi medii, laboriosissimi & difficillimi (quamvis conantibus, eos assequi non omnino disvadeo) sæpiùs tamen inefficaces: ideo ego ab his tradendis abstineo. Interea unicuiq; sufficiat proprii ingenii penu, usus disputandi frequens, eorumq; seria observatio, quæ à Viris doctis in Philosophico discursu solent proponi. Juvabit quoq; notitia primorum principiorum, atq; ex

his de-

his deductio veritatum infallibilium. Felicissimè ad hoc conducet, si diligenti animo percurrantur differentiæ, species, proprietates, accidentia, effectus, causæ prædicati & subjecti illius propositionis, quæ nobis offertur probanda. Multùm quoq; proderit cognitio locorum tam intrinsecorum, quàm extrinsecorum, quæ in Rhetorica traduntur. Præterea si nos reflectamus ad ea, quæ legimus, audivimus, experti sumus, quæ vel omnes vel plurimi pro veris habent, ac præsertim quæ admittit, vel admittere tenetur ille, contra quem disputamus. Et sic sine intricatissimis difficultatibus, absq; ingeniorum tortura, memoriæ gravamine, & longi temporis dispendio, quasi sponte sua, se offerent media diversa, ex quibus assumpta propositio probari, aut Dialecticè ac probabiliter, aut demonstrativè ac convictivè valeat.

TITULUS OCTAVUS
DE SYLLOGISMI DIVISIONE.

Quot modis dividitur Syllogismus?

Explicatâ jam naturâ & proprietatibus Syllogismi, nunc divisio illi9 expedienda venit. Dividitur itaq; Syllogis9 tot modis, quot divisa fuit Propositio, ideoq; revidendæ sunt illæ divisiones.

Hic tamen dividitur Syllogismus *imò* ratione terminorum, in categoricum & exposi-

expoſitorium. *Categoricus* vocatur, qui conſtat medio univerſali, quales Syllogiſmi formantur in modis trium figurarum Ariſtotelicarum. *Expoſitorius* dicitur, qui conſtat medio termino ſingulari incommunicabili vg. Sanctus Paulus fuit Apoſtolus Chriſti. Sed Doctor Gentium fuit ipſe Sanctus Paulus. Ergo Doctor Gentium fuit Apoſtolus.

Nihilominus per Syllogiſmum expoſitiorium frequenter intelligitur non ſolùm is, qui conſtat medio ſingulari, qualis eſt datus Syllogiſmus; ſed etiam ille, qui conſtat aliquo alio termino ſingulari, qualis eſt hic: Omnis Angelus, eſt ſpritus. Sed Gabriel, eſt Angelus. Ergo Gabriel, eſt Spiritus.

86. *2dò* dividitur Syllogiſmus ratione modi in directum & indirectum. *Directus eſt*, in quo majus extremum ponitur pro prædicato in concluſione, minus verò extremum pro ſubjecto ejuſdem concluſionis, ùt patet in hoc Syllogiſmo in dArII. Omnis, qui bene ratiotinatur, eſt Logicus. Sed Paulus bene ratiotinatur. Ergo Paulus eſt Logicus In quo Syllogiſmo majus extremum, nempe *eſt Logicus*, ponitur in cõcluſione dati Syllogiſmi pro prædicato, minus verò extremum nempe Paulus, pro ſubjecto, ùt patet conſideranti. *Syllogiſmus indirectus* ille appellatur, in quo extremum majus ponitur pro ſubjecto concluſionis, minus autem extremum pro prædicato ejuſdem concluſionis, ùt conſtat in ſequenti

Syllogiſmo in *fApEsmO*. Omne rugibile, eſt Leo. Sed nullus equus eſt rugibilis. Ergo aliquis leo, non eſt equus. In hoc Syllogiſmo majus extremum *leo*, ponitur in concluſione pro ſubjecto, jam verò minus extremum *equus*, ponitur pro prædicato.

Item ratione modi, Syllogiſmus dicitur perfectus vel imperfectus. *perfectus eſt*, in quo clarè & evidenter infertur concluſio, quales Syllogiſmi ſunt omnes in primæ figuræ quatuor modis directis formati. *Imperfectus eſt*, in quo non ita clarè bonitas conſequentiæ innoteſcit, quales ſunt Syllogiſmi in reliquis modis omnium figurarom formati.

87. *3tiò*. Prætermiſſis aliis Syllogiſmi diviſionibus ratione Propoſitionum, quæ facilè colliguntur ex diviſione ipſarummet Propoſitionum, dividitur Syllogiſmus in Demonſtratitivum, Topicum ſeu Dialecticum, & Sophiſticnm, ſeu litigioſum, de quibus ſingulatim infra.

PUNCTUM PRIMUM
De Syllogiſmo Demonſtrativo
Quid eſt Demonſtratio?

88. DEmonſtratio (quæ eſt nobiliſſimum Logicæ opus) *Eſt Syllogiſmus, in quo ex utraq; præmiſſa certa & evidente, infertur concluſio pariter certa & evidens.*

Quæ

Quæ sunt conditiones præmissarum, ex quibus Demonstratio confici debet?

89. ARistoteles docet, quòd illæ præmissæ, ex quibus conficitur Syllogismus demonstrativus, debent esse propositiones primæ & veræ, immediatæ, priores, notiores, & causæ conclusionis, quæ particulæ sic exponuntur: *debent esse primæ & veræ* seu primò veræ, id est, ut non sint illis aliæ priores, per quas probari possint. Prima enim & vera dicuntur illa, per quæ veritas manifestatur, non per alia cognoscitur, & ita sunt ex se ipsis clara, ut non indigeant alio ad se cognoscenda, nisi sola terminorum nolitiâ. *Debent esse immediatæ*, id est non habentes medium inter prædicatum & subjectum sui, quo possint probari, ideoq; debent esse indemonstrabiles; Nam in demonstrationibus, non debet dari processus in infinitum, ideo deveniendum est ad veritates quasdam primas & immediatas, quæ sunt ipsæ demonstrativæ præmissæ.

Debent esse priores & notiores; priores non tempore, sed naturâ: quia præmissæ probant conclusionem, eamq; notificant, & ideo debent habere & prioritatem, & esse magìs notæ: nam *propter quod unumquodq; est tale, illud ipsum, est magìs tale*. Si igitur propter præmissas, quæ sunt principia conclusionis, conclusio est nobis nota, adeoq; præmissæ ipsæ debent esse magìs notæ.

Quomodo hoc Aristotelis axioma: propter quod unumquodq́ est tale, illud ipsum, est magis tale: verificatur?

90. HOc axioma Aristotelicum tunc temporis verificatur, quando tertium illud inest utriq; & suscipit magis & minùs, sicut contingit in præsenti; notitia enim, quæ est quid tertium, his duobus nempè tam præmissis, quàm conclusioni inest, & quidem hoc tertium, hoc est *notitia*, suscipit magis & minùs, ùt per se patet, nam aliis major, aliis minor competit. Et hinc, quia vino ebrietas, morti pallor, Soli calor non insunt, neq; suscipiunt magis & minùs; ideo quamvis propter vinum aliquis redditur ebrius, propter mortē, cadaver redditur pallidum, propter solem aliquid calefit, vinum tamen non sequitur magis esse ebrium, mortem magis pallidam, & solem magis calidum. Similiter, quamvis propter substantiam, vel quantitatem, aliquid est substantia vel quantitas, non sequitur, quòd substantia vel quantitas, sit magis substantia, vel quantitas: quia hæc prædicamenta, non suscipiunt magis & minùs.

91. *Deniq; in Syllogismo Demonstrativo debent præmissæ esse causa conclusionis* idq; si demonstratio sit à *priori*, debent esse causæ *essendi*, qualis causa est Creator, respectu creaturarum, ignis respectu caloris. Si autem demonstratio sit *à posteriori*, debent esse *causæ tantùm cognoscendi*, qualis causa sunt

ſunt omnia viſibilia creata, reſpectu Dei inviſibilis, pallor reſpectu infirmitatis.

Quotuplex eſt Demonſtratio?

92. DEmonſtrationem aliam eſſe à priori, aliam à poſteriori.. *Demonſtratio à priori* dicitur, quæ probat effectum per cauſam, ſive per cauſam *proximam & immediatam*, qualis eſt eſſentia reſpectu proprietatum vg. rationalitas reſpectu capacitatis ſcientiarum in homine; *ſive per cauſam remotam*, quæ probat effectum per cauſam, non quidem immediatam; illam tamen, quæ requiritur ad ipſum, quamvis illa poſitâ, nondum ponitur effectus: ſicut, dum probatur lapidem non eſſe reſpirantem, eò, quód non ſit animal; nam animalitas eſt ſolùm cauſa remota reſpirationis, & illa poſitâ non ſtatim ponitur reſpiratio, quod contingit in piſcibus, qui licèt ſint animalia, non tamen reſpirant, nihilominus ad hoc, ut dicatur aliquid propriè reſpirare, requiritur animalitas.

An Demonſtratio propter quid & quia ſemper conveniat cum Demonſtratione à priori & poſteriori?

93. DEmonſtrationem à priori Ariſtoteles vocat, *Demonſtrationem propter quid*, tunc, quando probatur paſſio de ſubjecto per cauſam propriam & immediatam: eandem demonſtrationem à priori, vocat *Demonſtrationnem quia*; tunc, quando

quando conclusio probatur per causam remotam, vel per effectum, vel per aliud necessariò connexum. Ideo dabilis est demonstratio â priori, quæ non sit demonstratio *propter quid*, *sed quia*: nempè illa: in qua probatur effectus per causam remotam, quemadmodum etiam dabilis est demonstratio à *posteriori*, quæ non sit demonstratio *quia*: nam potest probari conclusio per tale medium, quod neq; sit effectus, neq; causa, adeoq; nec posterius, nec prius, sed concomitanter se habens ac simultaneè.

94. *Demonstratio igitur à posteriori* est, in qua probatur causa per effectum, quæ ideo appellatur à posteriori, quia effectus per quem deducitur sua causa, est posterior illâ, ùt cùm per res creatas, deducitur Creator earum.

Quid est juxta Aristotelem Demonstratio?

95. ARistoteles sic Demonstrationem definit: *est Syllogismus faciens scire*. Hoc est: per Syllogismum demonstrativum habemus hoc, quòd scimus, & illum habendo scimus. Hinc demonstratio per causam remotam, & per effectum, non generat scientiam perfectam, sicut Demonstratio per causam proximam & immediatam, non qualemcunq; scientiam, sed propriè dictam & perfectam generat in nobis. Et hæc scientia sic sumpta, *est cognitio certa & evidens rei necessariæ per causas*. Ac proinde scientia

nunquam

nunquam errori conjungitur, neq; ex sola opinione, aut ex fide humana potest provenire. Insuper, *debet esse rei necessariæ*; nam contingentium non est propriè scientia, per quod etiam distinguitur ab arte & prudentia. Deniq;, *debet esse per causas essendi*, ut distinguatur ab intelligentia, quæ est primorum principiorum, tum à qualibet cognitione non Philosophica.

Quas habet proprietates Demonstratio?

96. HAs; *1ma*, quòd Syllogismus demonstrativus constat præmissis & conclusione, universalibus & sempiternis, non particularibus & corruptibilibus. *2da*, constat præmissis necessariis, quæ nunquam falsæ esse possunt, non contingentibus. *3tia* habet principia propria, non communia, quæ se possent ad plura extendere, quàm ad suam conclusionē probandam. neq; *debent esse aliena*, seu alterius scientiæ, ad quam non pertinet conclusio. *4ta*, quòd pariat scientiam veram talem, ut immediatè dictum. *5ta*, vendicat sibi primam figuram & primum ipsius modum *bArbArA*. Solet tamen demonstrationis principium vocari commune & proprium, *Commune* dicitur illa Propositio, cui ob suam dignitatem & summam evidentiam fides adhibetur ab omnibus, ùt illud: omne totum, est majus sua parte. tale tamen principium non assumitur in præmissis in tota sua amplitudine;

tudine; seu in terminis communibus. *Proprium* dicitur illa prpositio, quæ probatione non indiget, & in principio scientiæ tanquam principium dicendorum, ponitur, ac per se nota est, quale est illud in Physica: ex nihilo, nihil fit.

Quæ sunt conditiones, ut in Demonstratione Præmissæ dicantur necessariæ?

97. HAs requiri conditiones, de omni, per se, & universale. *1ma de omni*, illud dicitur, quando prædicatum attribuitur omni subjecto, & omni tempore: ùt homo est scientiarum capax, lac est album: sed hæc conditio minimum necessitatis gradum constituit. *2da, per se*: quod sumitur quadrupliciter. *1mò*, quando prædicatum pertinet ad definitionem subjecti, vel tanquam genus proximum, vel tanquam genus remotum, vel tanquam differentia proxima, vel tanquam differentia remota, vel tanquam tota definitio ejusdem subjecti. Sic hoc prædicatum *animal mugibile* attribuitur bovi tanquam suo subjecto estq; tota illius definitio, *ubstantia* verò attribuitur illi, tanquam genus remotum, *animal* tanquam genus proximum, *corporeum* tanquam differentia remota, *mugibile* proprietas pro differentia proxima. *2dò sumitur per se*: cum subjectũ est de definitione prædicati, & hoc tunc contingit, quando propria passio de proprio subjecto prædicatur, sicut ecclypsis de luna; par, impar, de numero; hinnibilitas de equo,

& hoc

& hoc *per se*, majorem facit gradum necessitatis. *3tio per se*, significat existere per se, quod substantiis competit, sicut accidenti existere in alio tanquam in subjecto, & hic modus per se, inutilis est ad demonstrationem, quia in propositionibus non facit necessitatem, cùm sit incomplexus; propositiones autem semper sunt complexæ. *4tò per se;* sumitur aliquid esse propriam & per se causam alicujus effectus, ùt Sol est causa eorum, quæ generantur; statuarius statuæ; & talis causa per se, prædicatur de suo effectu: quemadmodum, si effectus non reducitur ad propriam causam, sed ad illud solùm, quod simul est cum effectu, *vocatur causa per accidens*, & per accidens prædicatur de suo effectu, ùt Arator, est thesauri inventor. Propositio ergo ex propria causa & effectu constituta, est necessaria & utilis demonstrationi, ex causa autem per accidens, & effectu illius, est inutilis. *3tia conditio necessitatis præmissarum universale:* hoc est, quòd sit prædicatum de omni & per se, juxta præcedentem explicationem. Et hæc conditio est maximæ necessitatis gradus. Ubi enim prædicatum est subjecto adæquatum, ibi est necessaria connexio, tam ex parte prædicati, quàm ex parte subjecti, atq; tam prædicatum subjecto, quàm subjectum prædicato necessarium est.

Quæ sunt partes Demonstrationis? & quomodo aliter vocantur?

98. Tres:

98. TRes; *1ma pars dicitur principia*, & hæc sunt præmissæ Syllogismi demonstrativi con-stātes cōditionibus, iam adductis. *2da, & 3tia, subjectum & passio*, quæ competunt conclusioni in Syllogismo demonstrativo, nam ibidem est subjectum, de quo prædicatur tertium, nempe passio talis subjecti. Istæ igitur partes Demonstrationis, principia, subjectum & passio, aliter vocantur *Præcognita*, eò, quòd ante demonstrationem præcognosci debent. *Principia* enim præcognoscuntur, quid significant, & quia vera sunt, *subjectum præcognoscitur*, quid nomen illius significat, nam de re non existente non potest quæri scientia, & quid sit: medium enim in demonstratione ùt plurimùm est definitio subjecti. *Passio* tandem præcognoscitur, quid nomen illius significet, nam non præcognoscitur, num existat, quia hoc per demonstrationem habetur, per quam concluditur, quòd passio inest subjecto.

An in scientiis subalternis demonstratio constet ex principiis propriis?

99. QUamvis Demonstratio non ex communibus, ex quibus scilicet colligeretur conclusio alterius sciētiæ, sed ex propriis debet constare principiis, hoc tamen non verificatur de scientiis subalternis: nā scientiæ subalternæ & subalternatis sunt communia principia, conclusiones enim scientiæ subalternatæ, probantur ex principiis, subalternantis à priori & per causam propriam, atq; ab ea evidentiam accipiunt. *Quo-*

Quomodo differunt ſcientia ſubalternata à ſubalternante?

100. SI ſubalternatio ſumatur propriè & ſtrictè *1mò*, differunt, quia *objectum ſubalternatæ* debet contineri accidentaliter ſub objecto ſubalternantis, per hoc, quòd illi addit differentiam accidentalem extraneam, *quæ differentia accidentalis, non debet eſſe propria paſſio*; hæc enim licèt ſit accidentalis, tamen ad eandem ſcientiam pertinet cum ſuo ſubjecto; *neq; debet eſſe differentia accidentalis quæcunq;* aliàs in infinitum multiplicarentur ſcientiæ ſubalternatæ; ſed talis naturæ; ut ex conjunctione ad objectum ſubalternantis ſcientiæ, habeat ſpeciales proprietates, quæ de ipſa demonſtrari poſſint, & ſpeciale genus ſcibilis conſtituere. Sic Muſica, quæ agit de numero ſonoro, ſubalternatur Arithmeticæ, quæ agit de numero abſolutè conſiderato, reſpectu cujus ſonoreitas, eſt differentia omnino extrinſeca accidentalis: numerus enim eſt de genere quantitatis, ſonus de genere qualitatis. Nihilominus ex conjunctione ſua cum objecto ſubalternantis, demonſtrantur de illa ſpeciales paſſiones, propter quod ſpeciale ſciendi genus conſtituit. *2dò* differunt, quia ſubalternans facit ſcire *propter quid*, ſubalternata *quia*. *3tiò*, quia ſubalternans ſcientia conſiderat objectum ſuum abſolutè, ſubalternata verò, modô contracto. Sic Geometria conſiderat line-

rat lineam, ùt sic; Optica verò, quæ Geometriæ subalternatur, lineam, ùt contractam sub visualitate.

PUNCTUM SECUNDUM

De Syllogismo Topico seu Dialectico

Quid est Syllogismus Topicus seu Dialecticus? & qualiter differt à Demonstrativo?

101. *SYllogismus Topicus seu Dialectus ille vocatur, qui constituitur ex præmissis probabilibus, & ex illis concludit probabiliter.* In hoc igitur convenit cum Syllogismo Demonstrativo, quòd similiter secundùm formam Syllogisticam disponitur; in hoc autem differt, quia non constat ex præmissis necessariis, & aliter se non habentibus, ideoq; non ex infallibilibus, neq; ex primis & veris, sed ex verisimilibus procedit.

Cùm Syllogismus constat una præmissâ necessaria, an debeat dici Probabilis?

102. DIci quoq; potest Syllogismus ille Topicus, qui saltem una probali incerta & in evidente constat præmissâ, licèt altera sit evidens ac necessaria: nam tunc conclusio, quæ debet sequi debiliorem partem, infertur in tali Syllogismo Dialectica & probabilis, seu inutramq; partem tam affirmativè, quàm negativè disputabilis.

Quo

Quo sensu debent sumi probabilia?

103. EX sensu Aristotelis probabilia multiplici sensu dicuntur: *quædam, quæ omnibus* usum rationis habentibus videntur esse vera. vg. benefacientibus est bene faciendum, omnis Mater diligit Filium suum &c. *quædam, quæ non omnibus* omnino probantur esse vera, multis tamen vg. quòd multiplicatio Scholarum sit inutilis. *Quædam, quæ sapientibus* solùm & in scientiis, bene versatis, verisimilia videntur vg. sol est major tota terrâ. *Quædam pluribus sapientibus* vera apparent vg. sol movetur, terra immobilis est. *Quædam maximè probatis* solùm vg. quòd DEUS effectivè producat omnes Physicos actus voluntatis. Sicut ergo necessaria, prima & vera non videntur, sed sciuntur; ita probabilia solùm videntur, hinc Syllogismus Demonstrativus generat scientiam, Topicus opinionem.

Quid est Opinio?

104. E*St assensus alicujus propositionis absq; certitudine, & cum quadam formidine ad oppositum.* Adeoq; Syllogismi, qui talem assensum generant, dicuntur probabiles; qui autem nituntur ratione verisimili *generant opinionem* propriè dictam; qui verò nituntur authoritate alicujus creaturæ vg. Angeli vel hominis, *generant fidem naturalem* cum formidine semper ad oppositũ, aut actuali, aut virtuali; non semper enim actualis formido in opinione, aut fide naturali requiritur;

tur; hæc enim authoritas falli & fallere poteſt.

Unde concluſiones diſputativæ debent probari?

105. AD probandas diſputativas concluſiones ſuas, utuntur Dialectici locis communibus, ex quibus Syllogiſmus Dialecticus ſumit robur & firmitatem ſuam, qui loci vocantur ſedes argumentorum ſeu rationum, ſeu mediorum, quibûs probantur concluſiones, ut in intellectû audientium fidem generent.

Quotuplex eſt apud Dialecticos locus communis?

106. DUplex: Maxima, & Differentia maximæ. *Maxima*, eſt aliqua propoſitio generalis per ſe nota, ex qua deſumuntur argugumenta, ad probandas alias concluſiones, quia illa intra ſuum ambitum omnia complectitur; veluti loci generales eorum, quales maximæ ſunt illæ *vg.* cui convenit definitio, etiam definitum convenire neceſſe eſt; cui convenit unum contrariorum, ab eodem negabitur alterum. Et ideo quia animali rationali, quod eſt definitio hominis, convenit, quòd ſit diſciplinarum capax; etiam homini, qui eſt definitum datæ definitionis, idem convenire debet: quia Adæ *vg.* convenit, quòd ſit Vir ſcientificus, ideo contrarium ſuum, nempe indoctus, ab eo neceſſariò removetur. *Differentia Maximæ*, dicuntur illæ differentiæ, per quas variæ maximæ ab invicem differunt: ſic allatæ ſuperiùs duæ maximæ ab invicem differunt. per terminos

diverſos

diverſos: in prima maxima definitio & definitum, in ſecunda contrarium & ſuum oppoſitum, ſunt differentiæ earundem allatarum Maximarum.

107. Ac proinde differentia maximæ, eſt veluti receptaculum pluriũ axiomatũ aliquomodò affinium, quæ differentiæ Maximarum appellantur loci, ex quibus deſumuntur argumenta addita præpoſitione *à* ùt *locus à definitione*, cujus hæ ſunt Maximæ; quidquid prædicatur de definitione, prædicatur & de definito, & è contra quidquid removetur à definitione, removetur & à definito, & è contra. *Locus à contrario*, cujus hæc eſt Maxima: poſitô uno contrariorum vel ſublatô, ponitur vel aufertur & aliud: quod valet de immediatis contrariis *vg*. ſublata valetudine ponitur ægritudo: non tamen de mediatis *vg*. ablato albô, ponitur nigrum, poteſt enim poni rubrum. *Locus à genere* à ſpecie, à cauſis, à ſimili, ab effectis, à toto ad partes, & à partibus ad totum, ab accidentibus, à ſuperiori ad inferius, ab inferiori ad ſuperius.

108. Hinc ergo conſtat tam Maximam, quàm differentiam Maximæ, eſſe argumentorum domicilia, & ab utroq; argumenta. atq; probationes ad materiam propoſit.m extrahi. Exinde oriuntur *loci vel intrinſeci*, qui inveniuntur intra rem ipſam, ſeu concluſionem probandam, quando nempe medium eam probans ad naturam ipſius concluſionis pertinet, vel illi aliquo modo con-

do con-

do conjungitur, quales sunt, definitio, interpretatio, totum, pars, causa, effectus, generatio, corruptio, *&c: vel loci extrinseci*, qui sunt extra naturam conclusionis; ad probandum assumptæ, quales sunt: à majori, à minori, à simili, ab autoritate, aut illi, in quibus medium repugnat conclusioni, ut ab oppositis, à disparatis, à dissimili.

TITULUS ULTIMUS.

De Syllogismo Sophistico.

Quid est Elenchus seu Syllogismus Sophisticus?

109. HAnc partem Aristoteles inscripsit de Elencho Sophistico. *Est autem Elenchus Sophisticus, Syllogismus captiosus, qui videtur apparenter concludere, nihil tamen concludit.* Quapropter talis Syllogismus, non est vera argumentatio, imò est oppositus argumentationi legitimæ, neq; nomen Syllogismi meretur, cum quo solùm quandam similitudinem habet, qua similitudine decipiuntur imperiti, quas deceptiones, ut evitare possit discipulus; de ejusmodi fallacibus Syllogismis agere institui.

Quot sunt genera Fallaciarum?

QUamvis autem ferè innumeri inveniuntur fallaciarum modi, nihilominus ad duplex genus communiter revocantur. Sicq; Fallacia universa-

universaliter dividitur in fallaciam in dictione, & fallaciam extra dictionem, de quibus in sequentibus punctis.

PUNCTUM PRIMUM
De Fallacia in dictione.

Quid est Fallacia in dictione? & quot sunt talis Fallaciæ species?

110. *Fallacia in dictione, in solis vocibus posita est, modò in hac, modò in alia significatione usurpatis.* Quæ fallaciæ numerantur sex: Æquivocationis, Amphibologiæ, Compositionis, Accentûs, Divisionis, & Figuræ dictionis.

111. *Fallacia Æquivocationis est, quando contingit fieri deceptionem ex parte alicujus termini æquivoci, plura habentis significata,* quo Sophista utitur, ut id, quod alicui rei per terminum æquivocum convenit, alteri rei per eundem terminum significatæ covenire arguat *vg.* omne, quod est sanum, est animal. Sed medicina est sana. Ergo medicina est animal. *Vel,* omne, quod est in dolio, est *vg.* vinum. Sed color est in dolio. Ergo color est vinum. Ubi in primo Syllogismo *ly sanum,* habet plura significata, sed unum tantùm principale, nempe *animal* cætera minùs principalia. *in 2do ly in, vel esse,* accipitur secundum diversos modos essendi in alio; & in his fit deceptio.

112. *Fallacia Amphibologiæ oritur ex variatione sensûs ambigui, vel casûs.* Ambiguum autem sensum dicitur habere vox, vel cùm habet propriam significationem duplicem, vel unam propriam, alteram impropriam seu metaphoricam *vg.* qui libri sunt Apostolorum. & Evangelistarum, non sunt tui. Sed libri novi Testamenti, quos emisti, sunt Apostolorum & Evangelistarum. Ergo libri, quos emisti nō sunt tui. In quoSyllogismo dictio: *non sunt tui libri* sumitur in hoc sensu, quòd non sunt tuæ compositionis, in conclusione autem, quòd non sunt tuæ possessionis, quæ significationes sunt omnino diversæ. *Item* Omni agnó proprium est balare. Sed CHRISTUS, est Agnus. Ergo Christo proprium est balare. Ubi dictio *Agnus* habens propriam significationem, variatur in isto Syllogismo, in majori enim sumitur in propria significatione, in minori autem, in Metaphorica.

113. *Fallacia Compositionis* est, quando à sensu distributivo vero proceditur ad sensum compositum falsum *vg.* possum esse & humilis, & superbus. Sed esse humilem, & superbum, est implicatorium. Ergo possum id, quod est implicatorium. In isto argumento in majori, ly *possum esse humilis & superbus* sumitur in sensu diviso, seu distributivo vero, in minori autem in sensu composito, ad quem in conclusione arguitur falsò.

114. *Fallacia accentûs* est, quando in Syllogismo dece-

ſmo deceptorio una dictio, nunc accipitur ſine accentu, *vg.* nominaliter, nunc cum accentu *vg.* adverbialiter. Et hæc fallacia multis modis fieri poteſt *vel per mutationem quantitatis Poëticæ*, ſi nempe eadem vox duplicem habeat quantitatem, quæ in una Syllogiſmi Sophiſtici propoſitione corripitur, in altera producitur, hocq; modô variatur ſenſus argumenti, vg. Omnis populus eſt ſenſitivus. Sed hæc arbor eſt populus. Ergo hæc arbor eſt ſenſitiva. *Ad hanc fallaciam pertinent aſpiratio & non aſpiratio.* vg. in ara, Deo victimæ offerri debent. Sed ſtabulum pecorum eſt hara. Ergo in ſtabulo pecorum, Deo victimæ offerri debent. *vel*, ſi abeo, recedo. Sed argentum habeo. Ergo recedo. *Eſt quoq; modus pronunciandi conjungendo*, vel dividendo vocem, per interrogationem, vel admirationem, vel per Ironiam, quales ſunt ſequentes Syllogiſmi: Si DEUS produxit aliquid invitè, produxit coactè. Sed DEUS produxit vinum in vite. Ergo vinum produxit coactè. *Item* qui Chriſtum Regem eſſe profitetur, & talem adorat, facit actum religionis. Sed Judæi illudentes JESU, Chriſtum Regem profitebantur, & de genu adorabant. Ergo Judæi illudentes JESU, actum religionis fecerunt. *Item ad accentum revocatur punctatio* in ſcriptura, dum nempe ob mutatas interpunctiones, una propoſitio diverſos poteſt habere ſenſus, ùt illud *Porta patens eſto, nulli claudatur honeſto.* Quæ ſen-

 tentia-

tentia si interpungatur commate post verbum substantivum *est*, alium, illumq; rectum sensum habet, si autem interpungatur post pronomen nulli, primo sensui oppositam & iniquam significationem exhibet, ùt per se patet.

115. *Fallacia divisionis* dicitur illa, quæ à sensu composito vero, procedit ad sensum divisum falsum vg. impossibile est, ambulantem quiescere. Sed hodie Petrus ambulat. Ergo hodiè Petrum impossibile est quiescere *vel*: quinq; & sex, sunt undecem. Sed quinq; est numerus impar, sex, est numerus par. Ergo undecem, est numerus par, & impar. In quibus Syllogismis, in utraq; majore, est sensus compositus verus, in utraq; autem conclusione est sensus divisus falsus.

116. *Fallacia Figuræ dictionis*, aliter vocata fallacia dicti, est modus fallendi audientem propter similitudinem vocum, & procedit ab uno genere, ad aliud Grammaticè, vel ab uno prædicamento ad aliud *vg*. mons est generis masculini. Ergo & mens est generis masculini. *vel* via, est primæ declinationis. Ergo & dogma est primæ declinationis. *vel* docere significat actionem. Ergo & videre significat actionem. Quæ consequentiæ sunt falsæ, nam non omnia in *ns* desinentia: sunt generis masculini, non omnia nomina in *a* terminata, sunt primæ declinationis, neq; omnia verba in *e* finita significant actionem. Qui enim videt, non secundùm quod agit, videt, sed

dat, sed secundùm quod patitur; omnis enim sensus est potentia passiva.

117. *Sciendum* Si fuerit propositum sophisma in dictione, (hoc enim priùs cognosci debet, ad quod genus illa fallacia pertinet) rogandus erit Sophista, ne de voce sit litigium, ut ab illa dubia, amphibologica Æquivoca &c: voce abstineat, & loco illius alium sensum univocum habentem assumat, sicq; argumentum clarè proponatur. Quodsi acquiescere noluerit, hoc ipso constabit ejusmodi argumentum futile, leve, neq; viro docto dignum esse.

PUNCTUM SECUNDUM

De Fallacia extra dictionem.

Quid est Fallacia extra dictionem? & quot sunt species talis fallaciæ?

118. F*Allacia extra dictionem, est illa, quæ deceptionem suam aliunde desumit, non ex vocibus, nempe ex aliqua circa rem ipsam diversificatione.* Hinc illa ex verbis, hæc ex rebus oritur, quæ sunt sibi aliquomodò similes, vel aliquam ad se relationem habentes. Et tales fallaciæ extra dictionem numerantur septem: ab accidente, à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter, ignoratio Elenchi, petitio principii, fallacia consequentis, fallacia causæ non causæ, & ab interrogatione multiplici.

119. *Fallacia accidentis est*, quando deceptio provenit ex eo, cùm aliquid tribuitur subjecto simpliciter, & secundùm se sumpto, quod illi convenit solùm ratione accidentis. Et hæc fallacia latissimè extēditur, aliàs quælibet mala argumentatio, quæ videtur habere formā Syllogisticam, & non habet, huc spectat: ideoq; ad eam revocantur omnes mali Syllogismi peccantes contra regulas Syllogismorum, sive generales, sive speciales, de quibus supra actum fuit. Sic fallit iste Syllogismꝰ: Homo est species. Sed Petrꝰ est homo. Ergo Petrꝰ est species. Nā in majori *ly homo* sumitur in communi pro natura humana; ut ab individuis abstracta, in minori autem sumitur pro persona, seu pro natura humana, ùt contracta per individualem differentiam, & sic mutatur suppositio. Similis proposita fuit fallacia Diogeni Philosopho ab Aulo Gellio: quod ego sum, tu non es. Sed ego sum homo. Ergo tu non es homo. In quo Sophismate à termino in antecedente non universaliter sumpo, proceditur ad eundem terminum, in conclusione universaliter acceptum. Quod sophisma non tam solvit Gellio Philosophus, quàm potiùs ipsi illusit, in eumq; retorsit inquiens: Infers me non esse hominem, hoc falsum est, quodsi verum fieri velis, incipe à me, & tu eris bestia. Qua responsione indicavit, quòd tam facilè possit Diogenes contra Gellium tali paralogismo concludere, sicut Gellius adversum se concluserat. Qui enim non

ad rem

ad rem argumentatur, non ad rem recipiat responsionem, juxta illud axioma: contra vulpem vulpizabis, contra Cretensem cretizabis.

120. *Fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter est, quando arguitur à prædicato restricto, ad prædicatum non restrictum, vel è contra. Dicitur autem dictum secundum quid* illud, quod est determinatum per aliquod determinans, cum qua detur minatione sumptum, dicitur dictum secundem quid, sine tali autem determinatione acceptm, vocatur dictum simpliciter. Sic *ly* homo justus homo sculptus, homo doctus, homo apparenter sanctus, Æthiops secundùm dentes albus *&c;* Sunt dicta secundùm quid, jam autem homo absolutè & sine determinatione sumptus, aut Æthiops, dicuntur sumi simpliciter. Potest ergo fieri deceptio, si quis ex dicto secundùm quid, & determinato; per aliquod prædicatum, arguat & inferat conclusionem dicti simpliciter seu non determinati per aliquod prædicatum determinans vg. hæc sculptura, est homo sulptus, hic Æthiops est albus secundùm dentes, hic homo est apparenter sanctus. Ergo hæc sculptura, est homo. Ergo Æthiops est albus. Ergo hic homo est sanctus. Ubi vides propositiones in antecedenti, quòd sint dicta secundum quid, restricta determinata per sua prædicata, & quidem vera, quando sumuntur cum determinatione; jam autem ex illis inferuntur

conclusiones dicti simpliciter sine restrictione ac determinatione. *E contra quoq; à dicto simpliciter, ad dictum secundùm quid*, potest formari deceptio *vg.* Judas est bonus fur. Ergo Judas est bonus, & fur. *Item* Nero est celeberrimus Tyrannus. Ergo Nero est celeberrimus, & Tyrannus.

121. *Fallacia ignorantiæ Elenchi* est, cum Sophista infert conclusionem, acsi contradictoriam, quæ re vera non est contradictoria concessæ propositioni, per quod intendit ut sibi talis conclusio concedatur. Quia tamen aliqua conditio deficit ad veram contradictionem requisita, ideo non dicitur propriè contradictoria talis conclusio, sed solùm apparenter. Talis est hic Syllogismus: Christus secundùm Humanitatem est Filius MARIÆ & David, & secundùm Divinitatem, non est eorum Filius. Ergo eorundem & est Filius, & non est Filius. *Item* Paulus eruditè disputat, & non necessariò disputat. Ergo Paulus disputat, & non disputat. In quibus Syllogismis idem prædicatum de subjecto dicitur, in primo, sed non secundùm idem; in secundo autem Syllogismo non similiter, seu non eodem modo: in primo enim dicitur Filius MARIÆ & David, secundùm carnem, non Filius verò secundum Divinitatem. *in secundo autem* non similiter, neq; eodem modo: nam dicitur Paulus disputare eruditè, & non disputare necessariò, qui sunt diversi disputādi modi. Itaq; in allatis Syl-

tis Syllogismis esto videtur in conclusione contradictio, non est tamen: nam ad veram contradictionem requiritur, ut Propositio contradictoria, cum altera, cui opponitur, sit unius & ejusdem subjecti ac prædicati, non solùm secùndũ vocem, sed etiam secùndũ significationẽ simul, conclusionem quoq; inferat ex præmissis in Figura & modo rectè dispositis. Insuper ut sit ad idem, secundùm idem, & in eodẽ tempore, quorũ quocunq; deficiente, non est propriè Propositio contradictoria, in quo si quis decipiatur per Sophnistam hæc deceptio, vocatur ignoratio Elenchi.

122. *Fallacia petitionis principii est*, cùm idem per idem, licetsi aliis verbis, vel per aliud medium æquè dubiũ ac controversum probatur, atq; per tale, quod ipsum restat probandum, soletq; vocari talis deceptio circulus vitiosus. Cõmittit hanc fallaciam is, qui unũ correlativũ, probat per aliud correlativum, quod ita ignotum est, sicut & primum. *Item* Si quis per universale probat inferius, per genus, speciem, vel individuum. Tales sunt hæ argumentationes: mortuo leone, anima ejus non manet seperata. Ergo etiã mortuo bove anima ejus non manet separata. Ubi ignotum per ignotum probatur, æquè enim ignotum est de anima leonis, ac de anima bovis, quòd mortuo leone & bove intereant. *Itẽ* Si quis Gentili ignoro mysterii probat CHRISTUM esse Filium Beatæ VIRGINIS MARIÆ eò, quia Beata VIRGO MARIA est MATER Ejus, nam utrumq; correla-

correlativum Gentili æquè est ignotum. *Item* Substantia est homo. Sed Petrus est substantia. Ergo Petrus est homo. Qui Syllogismus non peccat in forma, sed solùm in materia, & ideo sophisticè concludit, probansq; per universale nimirum per substantiam, inferius, nempe hominem, verè non probat, nam non omnis substantia, est homo, sed solùm probare videtur.

123 *Fallacia consequentis est*, quando ex termino consequenti, infertur terminus antecedens, vel ex negatione antecedentis infertur negatio consequentis. Hæc autem fallacia tunc fit, quando ex consequente bene illato, infertur antecedens, quod non potest bene inferri, ùt cum ex superiori colligitur inferius, vel ex negatione inferioris, negatur superius, *vg.* est animal. Ergo est homo. *Item* non est homo. Ergo non est animal. *Item committitur hoc sophisma*. dum ex convertente propositione per accidens, infertur conversa, ideoq; creditur, quòd sicut antecedens, infert consequens *vg.* hoc, est homo. Ergo est animal; ita vicissim creditur, quòd consequens inferat antecedens, *vg.* hoc, est animal. Ergo est homo. *Dicitur autem in præsenti terminus antecedens ille*, ex quo infertur legitimè alius terminus, sed non è contra: *Terminus autem consequens*, ille vocatur, qui bene infertur ex alio termino, sed non vicissim ùt patet in allatis exemplis, sic ille Syllogismus: Si currit. Ergo movetur. Sed non currit. Ergo non movetur.

Sciendum

Sciendum cum sophisma consequentis falsò aliquid supponit, quòd non debet supponi, ideo talis fallacia consequentis, per negationem suppositi declinanda erit. Non semper enim valet illatio mutua à consequente ad antecedens, vel ab opposito antecedentis, ad oppositum consequentis, etiamsi valeat ab opposito consequentis, ad oppositum antecedentis.

124. Fallacia causæ non causæ ea dicitur, cùm assignatur alicujus effectûs causa, quæ tamen non est illius causa; vel cum assignatur alicujus effectûs causa veluti adæquata, quæ solùm est inadæquata vg. quod inter Cives parit jurgia, est abrogandum. Sed divitiæ pariunt inter Cives jurgia. Ergo à Civibus divitiæ sunt abrogandæ. Cùm tamen, non divitiæ; sed avaritia Civium hæc jurgia parit. *vel* quo minùs onustus est equus, currit velociùs. Ergo cum nullo pondere onustus est, currit in instanti. Similiter illud: scientiæ, sunt causa hæresum. Ergo sunt tollendæ.

125. Fallacia plurium interrogationum est, quando ad plures disparatas interrogationes, eadem petitur responsio, quæ tamen diversis indigent responsionibûs, ùt si cui ostendas duas aves, unam viventem, alteram suffocatam, & quæras, suntne hæ aves viventes? si dicas, indistinctè esse viventes, aut mortuas, non evades deceptionem, quodsi quis responderit distinctè hanc esse viventem, illam mortuam, jam evasit fallaciam.

126. Sciendum imò, Quando proponitur aliqua fallacia

fallacia extra dictionem, considerabitur serió ad quam decipiendi speciem pertinet, quó cognitó, poterit id aperiri Sophistæ, quòd in illius argumento hujusmodi reperiatur deceptio v.g. ignoratio Elenchi, petitio principii, &c. Et hoc ideo, ut intelligat, quod respondens illius deceptionem non ignorat, adeoq; ut spem victoriæ non collocet, in suo sohismate.

127. *Sciendum 2dò*, ut in casu dissolvendæ fallaciæ statim menti occurrat præceptum, regula, lex, aliaq; principia Logica, contra quæ deceptio formata est, ideo ejusmodi præcepta & leges memoriâ retineri debent, ùt facilè sophisma bene instructus animus regulîs Logicîs confutare valeat: ac præterea advertendum erit, an contra ipsum Sophistam deceptorium argumentum, quod proposuit, retorqueri non possit; ita ut ipse teneatur suam solvere deceptionem, sicq; jaculator suô telô in se reflexo configi.

128 *Sciendum 3tiò*, Quoniam omnes Syllogismi sophistici, aut constant quatuor terminîs, aut consequentiam iuferunt ex negativis, vel particularibus præmissis, aut in conclusione terminum communem distribuunt, aut quodpiam vitium habent, quô forma syllogistica depravatur, ideo in Syllogismo Sophistico ex his rationibus, propter quas non bene concludunt, rectè negatur consequentia. Quodsi verò hujusmodi Syllogismi possunt dissolvi distinctione, aut alio modó, non est in illis neganda consequentia.

quentia. Inglorium igitur esset ingeniô pollere, nomen Philosohi portare, & tamen Sophisticis captionibus circumveniri, neq; se ab eis liberare posse.

ET hæc quò ad præceptorum Logicæ Incipientium notitiam pertinebant compendiosè collecta, dicta sufficiant, quibus bene expolitus animus Studiosi, eorumq; cognitione, atq; memoriâ sufficienter instructus, facilem sibi præparabit viam ad ulteriores sciētias Philosophicas, tumq; ad penetrandas feliciùs difficultates Theologicas, quæ sine notitia artis disputandi & Philosophiæ intelligi non possunt: per quæ modum confutandi falsa hostium fidei dogmata, in promptu habebit. Quæ nos qualitercunq; sufficere avidis scientiarum animis existimantes, finem Tractatibus Logicæ minoris imponimus. Et licetsi non novi alicujus negotii opus, sed tamen totum laborem nostrum in colligendis ac illustrandis præceptis discurrēdi impendimus. Quem DEO T.O.M. tanquam Primæ & infallibili Veritati, ad Majorem Gloriam, MATRI DEI & VIRGINI Immaculatæ Conceptæ, ac Omnium Sanctorum præsertim Tutelaris nostri Beati JOANNIS CANTII cultum & venerationem, devotô corde consecramus.

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

Literæ Pr. denotant Præambula, numerus verò iisdem literis adjunctus, numerum marginalem; Jam autem unitas primô locô posita indicat primam Logicæ Partem de Terminis; binarius numerus secundam Logicæ Partem de Propositione; ternarius, tertiam Logicæ Partem de Argumentatione; unitas autem, aut numerus secundo locô positus, numerum marginalem ostendit

A

Analogum

Conse

D.

E.

F.

L.

M,

Medium

Prædicari

Proprium

Q.

R.

S.

Syllogismi